UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue] passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

Visual Library

Th. 2445.
Kill
10

IHS

VIRIDARIVM SANCTORVM

Ex Menæis Græcorum lectum, translatū et

Annotationib. similibusq; passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

à

MATTHAEO RADERO DE SOCIETATE IESV

Lib. Coll. Soc. Iesu Paderborn. A. 1610

EDITIO SECVNDA

Memorandis historijs auctior.

AVGVSTAE VINDELICORVM.
CIↃ IↃCVII

IHS.

AD ILLVSTRISSIMOS PRINCIPES TRIGEMINOS FRATRES RADZIVILOS.

CEdite Tyndaridæ numq̃ simul ambo mi-
Deficiũt nullo sidera nostra die. (cãtes;
A septẽgeminâ lampas noua fulgurat Arcto,
Et Radiuilorum *spargit in orbe iubar:*
Cui non concessit, velut astris, lumina Titan;
Inclyta sole nitet gens RADIVILA *suo.*
Alma Trias serua clementi numine gentem,
Siue sit illa domi, siue sit illa foris.

MRA

ILLV-

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS,

IOANNI GEORGIO, ADALBERTO WLADISLAO, CHRISTOPHORO NICOLAO,

RADZIVILIS,

ILLVSTRISSIMI DOMINI, Dn. NICOLAI CHRISTOPHORI RADZIVILI, DVCIS

Olycæ & Niesuiesij, S R. I. Principis, Palatini Vilnensis, Comitis in Szydlowiec & Myr. Equitis Hierosolymitani, &c. FILIIS.

MATTHÆVS RADERVS E SOCIET. IESV, SALVTEM.

NEMO vnquam vel in purpura natus, vel ad purpurā euectus, Illustrissimi Principes tam altos. vel, vt rectius dicam,

tam ſuperbos geſſit ſpiritus, qui non putaret ſceptra faſceſq;, ſapientię diſciplinis inclinandos. Phœnicis nutũ, alioquin indomitus obſeruauit Pelides, Stagiritæ frontem ſuſpexit Macedo; Athenodori Auguſtus, Plutarchi Traianus; Arſenij ferulã timuere Arcadius & Honorius, Auſonij Gratianus. Pompeius etiam à virtute bellica Magnus appellatus, victor à Mithridate victo, cũ victore exercitu Rhodum profectus, non ſolum laureatos faſces & ſecures Poſidonij, ſapientiæ fama tum florentis, poſtibus ſubmiſit, ſed omnium doctorum exedras luſtrauit, ſingulos docentes attendit,

ſin-

singulis pro Romana maiestate talentum impertiuit. Iure igitur & regia virtus vestra in hoc genere prædicanda, cum positis tiaris, ducumq; põpa & satellitio domi relictis, nostræ quamuis humilia Palladis subsellia ingredi, nec ingredi tantum, sed assidere, Rhetores audire, stilũ formare, disputatione congredi non dedignatur. Non capiat vos, Illustrissimi Principes, facti huius pœnitudo, gratæ memoresq; sunt Musæ, quæ cultores suos pari certè, si nõ maiori honore colunt, quàm coluntur. Nam

Dignos laude viros musa vetat mori,
Cælo Musa beat.

Non minori fuit ornamento Aristoteles Alexandro, quam Alexander Aristoteli, ex cuius disciplina orbis terræ Imperator prodiit. Fatentur nostræ Charites Gymnasio nostro, ex Illustrissima vestra præsentia ingentem accessisse gloriam, eamq; in acta mittere perpetuo victura pollicẽtur. Etenim illustri prosatos stirpe multos, plures generoso oriũdos stemmate, plurimos nobili satu editos, hactenus Minerua nostra ad virtutis & eruditionis laudẽ excoluit & perpoliuit; Illustrissimos Principes, inter auditores suos, vos primos salutat noster Phæbus, qui nõ tam vobiscum splendo-

rem

rem communicat ſuum, quam ſuam à vobis lucem & facẽ mutuatur, quando non ſolum ampliſſimâ illuſtriſſimaq́; Radziuilorum domo, genere, familiâ, ſed Illuſtriſſimi patris famâ & nomine per omnẽ orbem propagato, & Romanâ patrui ſacraq́; purpura, & veſtrámet ipſorum præſtantiſſimâ probiſſimaq́; indole, placidiſſimis ſuauiſſimisq́; moribus, & pietate publicâ priuataq́;, non modo phrontiſterium noſtrum mirificè illuſtratis, ſed ipſam vrbem, quamuis auguſtã & illuſtrem, multò tamẽ redditis auguſtiorem, & illuſtriorem. Celebrant enim humanitatẽ veſtram ſin-

gularem, modeſtiã ſuaui quadã grauitate temperatam, virtutẽ & integritatẽ, ſacri iuxta ac vrbani ciuium ordines. Neq; ſanè id mirũ videri cuiquam debet, à talibus profectos parentibus ac maioribus, indolem ac virtutem â paterna laude traxiſſe

Senſere quid mens, rite quid indoles,
Nutrita fauſtis ſub penetralibus,
Poſſet. ——

Nam de Illuſtriſſimo patre veſtro quid primum aut poſtremum dicam?

Multa viri virtus animo, multusq; recurſat
Gentis honos ——

An de militaribus eius virtutib⁹ panegyrim inſtituam? & expeditiones cum fortiſſimis heroibus, Sigiſmundo & Stephano, Re-

Regibus sacratissimis susceptas, fortissimaq; eiꝰ facta persequar, & accepta in Polocẽsi obsidione grauissima quidem, sed pulcherrima frontis honestamenta, vulnera, inquam, refricabo? An rursum, in conclamata corporis inualetudine, tolerãtiam, & diuinam pietatem prædicabo? cum à desperatis humanis omnibus auxiliis, Misiconis exemplo (qui primus in Poloniã Christi legem inuexit) ad opem diuinã Numinis confugit, conceptumq; Hierosolymorũ adeundorum votum rite persoluit, & Græciâ, Palestinâ, Syriâ, Ægypto peragratis.

Per tantos casus, per tot discrimina rerũ,

ægrè tãdem in ditionem ſuam, equeſtribus Hieroſolymitanorum equitum ornamentis inſignitus, repedauit, eiuſq; pietatis & peregrinationis æternum poſteritati monumentũ, ingẽti Reip. Chriſtianæ commodo, publicis cõſignatum literis donauit. O virum ſupra omnem antiquitatis memoriam celebrandum. Quis hunc πολύτροπον patientemq; Vlyſſem, imò patientiorem fortioremq; Vlyſſe neget?

——ὅς μάλα πλεῖστα πλάγχθη
Πλείστων δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω,
Πλείστα δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυ-
(μόν.

Quid ergo magnopere mirandum

dum, si maximus hic heros, maximis orbis terrę Dictatoribus, Monarchis, Pontificibus, Cęsaribus, Regibusq; notus ac familiaris extitit, quando in Germania, Galliis, Italia cum iisdem est versatus. Sed quid postliminio tandem domum reuersus, non piè sancteq; instituit? sacra virginibus claustra, viris religiosis cœnobia, Societati nostræ amplissimum Niesuisij domiciliũ Collegiumq; à fundamentis excitauit, aluit, dotauit. Liberos suos, vos inquam Illustrissimos Principes, tanto dignos parente filios, domi forisq; in disciplinam tradidit, ac penitus in tutelam commisit,

aliaq́; virtutis opera & exempla edidit, editq́; hodie, quæ omnis posteritas miretur potiꝰ quam imitetur. Porro Mater Euphemia Elisabetha, digna cœlo fœmina, grauissima, Illustrissimaqúe Matrona, quæ non post vitam, in hominũ mentibus pietatis, clementiæ, benignitatis monumenta reliquit? Cui non satis fuit sua, dum viueret, in egentes distribuisse, nisi mortua seipsam eisdem efferendam cõmendaret. Elata est ergo, vti in mandatis vltimis præceperat, quali pompa? aurum aulamq́; reiecit, proceres palatinos non adhibuit, populari sandapila à centunculatis rogatoribus gestata,

ſtata, elata, atq; tumulata eſt. O rarã in tam alto honoris ſuggeſtu modeſtiã ac demiſſionẽ. Sed quo humilius in terram deſcẽdit corpus, hoc altius in cœlum eius conſcendit ſpiritus. Hæc in patria, inter domeſticos parietes ipſi præſentes ſpectaſtis, & accepiſtis ad virtutem incitabula. Nunc quia procul à patriis finibus, in viridi hoc floreti q; & ardenti æuo, Illuſtriſſimũ parentem etiam in hoc ſecuti, abeſtis; dum in noſtri gymnaſij anguſtiis & cura literaria verſamini, putauimus Illuſtriſſimas Celſitudines Veſtras ſubinde è Xyſtis atque cathedris, in patentes & ridentes floribus

cam-

campos, amœnosq; opacorum nemorum saltus, ac hortos suburbanos educendos, atque in hæc Augustana tempe & Viridaria, non Alcinoi vel Hesperidum, sed Diuorum ac cœlitum omni virtutum genere exculta, deducendos. Quę Viridaria nō videnda tantum & spectanda, sed colenda etiam & habitanda vobis offerimus, in quibus, vt poëta canit

——ὅποτε καρπὸς ἀπόλυται οὐδ' ἐπιλείπει
χείματος, οὔδε θέρευς ἐπετήσιος. ——

Virtutis enim flos canescit, & defloret nunquam, sed nouos semper atque æternos operæ & laborum procreat fructus.

Hoc ergo VIRIDARIVM vobis Illustrissimi Principes con-

ditum,

ditum, consitumq; & dedicatum est, in quod à literarũ meditatione subinde diuerteretis, animumq; diuinis cogitationibus pasceretis. Non semper à Regibus Principibusq; amicorum paræneses & adhortationes, quæ ad temperantiam, sobrietatem, continentiam pertinent, æquis auribus admittuntur; chartæ inuidiam aut odium nullum pertimescunt. Sciebat hoc Demetrius Phalereus, cum Ptolemæum Ægypti Regem, ad libros de regno scriptos, diligenter legẽdos admoneret, vt, qui monita aliorũ non ferret, ex doctorũ ac sapientũ monumẽtis bene viuendi regendiq; pręcepta

cepta hauriret. Habetis, nec ignoro domestica, vestra Sãctorũ violaria, Casimiros, Stanislaos, Cyrillos, Methodios, Hyacinthos, Hedvviges & innumeros alios: iuuat tamen etiam in peregrino solo, peregrinos quoq; Diuos venerari; vbiq; precantium vota valent, & patrocinia mortalibus vbicunque pręstita, sunt grata & optata. Valete Principes Illustrissimi, & in spẽ maiorum vti cœpistis, felices viuite, crescite, proficite, & animos virtutibus perficite. Augustæ Vindelicorum, feriis D. Michaëlis ἀρχιστρατήγου Anno CIↃ. IↃCIV.

PRÆ-

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

MENAEA GRAECORVM, vnde nostrum VIRIDARIVM traduximus, quamuis à mẽsium ordine nomen, & originationem trahant, planè tamen diuersa sunt à Menologio, quod nihil nisi Sanctorum continet Fastos, vti & latinæ Ecclesiæ Martyrologia, in quibus genus vitæ, & mortis, tribus, vt aiunt, verbis indigitatur potius, quam explicatur. Menæa autem, perinde quasi rituales libri, & quid precandum sit, & quomodo, præscribunt, omninoq; maximã partem Canonicis precibus & horis respondent Latinorum. Docent enim quæ εἰς τὴν ἑσπέραν, ὄρθρον, αἴνους, καὶ τὴν πρώτην, τρίτην, ἕκτην, ἐννάτην ὥραν, quæ ad Vesperas inquam, matutinas, laudes, primam, tertiam, nonam canenda, precandaq; sint, nec ἀπόδειπνα, quæ cum postrema & completa hora nostra possunt conferri prætermittunt. Habent ad preces matutinas,

nas, laudes & reliquas horas, psalmos, versus, doxologias, ἀπολύσεις & absolutiones, habent lectiones & ἀναγνώσματα ex literis sacris, patrum homiliis, & Martyrum sanctorumq; reliquorũ tam Latinorum, quàm Græcorum vitis & gestis petita. Habent τὰ ἀντίφωνα, σίχους, κανόνας, κοντάκια, εἱρμούς, & alia odaria, vti nos responsaria, versiculos, capitula, benedictiones, hymnos, tractus, & hoc genus alia. Sed ego neglectis aliis, tantum τὰς τῶν ἁγίων μνήμας, seu breuiaria Sanctorum, in quibus quasi epitomas, ex S. historiis confectas videbam, cœpi voluere, & ad rariores animum aduertere, domiq; inter familiarem Sociorum consuetudinem secundum mensam referre, nec paucas in Parthenio Sodalium cœtu, cui multos iam annos præsum, percensere, nihil tamen enotare calamo, vel in literas mittere, donec multorum hortatu, non sine delectu nobiliores quasdam delibaui, latinas feci, & in hoc quasi violarium traduxi. nempe:

Floriferis vt apes in saltibus omnia limant,
Omnia nos itidem depascimur aurea facta,

Aurea,

Aurea, perpetua ſemper digniſſima vita.

Vnde noſtrum hoc à nobis Viridarium Sanctorum, velut amœniſſimus omniq́ genere florum conueſtitus campus, conſitum eſt, & inſtitutum. In quo αἰεὶ ——

Ζεφυρίοι πνείουσα τὰ μὲν φύη, ἄλλα δὲ πέσσει
Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ.
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλὴ, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Ex quo cum candidiſſima virginitatis, & caſtimoniæ lilia, tum ſuaue rubentes purpuratorum martyrum hyacinthos, tum denique ex aſperrimo anachoretarum cultu, & paliuris ſelectiſſima virtutum omnium roſaria panges, carpes & in ſertum leges. Ordinem in Menæis repertum ſeruaui, à Septembri enim Græci annum auſpicãtur, quemadmodum ex Menæis & Horologio diſcis, vbi Calendis Septembribus hæc verba leguntur: εἰς τὴν πρώτην. ἀρχὴ τῆς Ἰνδίκτου, ἤτοι τοῦ νέου ἔτους. *Ad primam. Initium Indictionis, ſeu noui anni. Diem ad oram annotaui. Syllabum Sanctorum, ad Alphabeti quoque rationem redegi, vt omnia haberes in promtu. Præterij nonnulla, quam-*

uis lectorem tenere potuerint, & afficere, cuiuſmodi ſunt quæ de S. Zotico ὀρφανοτρόφῳ, *Photina Samaritana illa, cũ qua Chriſtus ad fontem de aqua viua diſputauit, de Paraſceue, Artemone, Neophyto, & aliis: nõ quod martyrib. ſuam detrahere lauream, omnibus modis exornãdam voluerim, ſed quod animaduerterem irrepſiſſe menda quædam & labes in eorum acta, quæ mihi cum hiſtoricorum auctoritate & fide, non ex omni parte conſpirare videbantur. Selectis verò, partim firmandis, partim ſimilibus Sanctorum factis illuſtrandis, annotationes adieci, ex quibus non minus, vti ſpero, quam ex ipſis Menæis proficies. Et generatim, valent plurimum ad æmulãdam virtutis elegantiam, facta maiorum.* Longum iter eſt docere per præcepta, breue & efficax per exempla, *vbi quaſi in rem præſentem venitur, & intereſſe vitis Sanctorum licet. Nec omnia tibi imitanda putes: admirari poſſis alia, alia venerari, plurima æmulari. Si te cultus veſtium aſperior, ſi hirta ſetis horridaq́ tactu ſubucula, ſi poſi-*

tum

tum humi cubile, si domus è cespite erecta, culmo tecta, imò si nulla aduersus cœli rigorem suffugia territant: si indictum ventri, auro, Veneri odium bellumq; æternum, à castris heroũ te excludit, si torquere corpus insomniâ, cruciare inedia, luctu exhaurire non potes: irarum fluctus discere frangere, modestiam amare, fastum execrari, pudorem custodire, mediocritatem sectari, humana despicari, æterna spectare, mortem & quæ hanc sequũtur formidare, sperareq; vel sempiterna cœlitum gaudia, vel infelicium tremere apud inferos tormenta. Sed nos

Laudamus veteres, & nostris vtimur annis.
Aude hospes, contemnere opes, & te quoque dignum Finge Deo.——

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS.

VIRIDARIVM Sanctorũ à MATTHÆO RADERO Societ. nostræ, ex Græcorum Menæis collectum, & vna cum SYNTAGMATE SS. PATRVM DE STATV MORIENTIVM, latine factum, atque à destinatis Ordinis nostri patribus lectum & probatum, ego GREGORIVS ROSEFFIVS Societ. IESV per superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, facta mihi ab adm. R. P. N. Generali CLAVDIO AQVAVIVA, potestate in lucem edi permitto. Ad cuius rei fidem, hoc ei testimonium manu mea subscriptum, & signo Societ. munitum impertiui. Augustæ Vindel. V. Idus. Augusti. A. C. MDCIV.

GREGORIVS ROFEFFIVS
PROVINCIALIS.

INDEX

INDEX SANCTORVM.

A.

Alexander & Antonina martyres. 10. Iun. fol. 251
Ammon Anachoreta. 73
Anastasia medicatrix. 22. Decemb. 115
Anastasia Patricia. 10. Martij. 161
Andronicus & Athanasia coniuges & Anachoretæ. 9. Octob. 42
Aninas Anachoreta Thaumaturgus. 16. Martij. 174
Anonymus Monachus & Martyr memorabilis. 15 Octob. 49
Antonina cum Alexandro. 10. Iunij. 251
Apollinaris Syncletica seu patricia. 4. Sept. 1
Arsenius in Latro. 13. Decemb. 106
Athanasia cum Adronico. 9. Octob. 42
Athenogenes. Martyr. 16. Iulij. 267

B.

Basiliscus Martyr. 22. Maij. 242
Basilius, Gregorius, Chrysostomus. 30. Sept. 20
Besarion Anchoreta. 17. Iun. 255

C.

Crisis siue vltimum tribunal. Carmen. 300
Chrysostomus, Gregorius, Basilius. 30. Sept. 20
Conon Isauricus. 5. Mart. 159
Constantinus ex Iudæo Christianus. 26. Decemb. 123

Cosmæ Monachi visio. 5. Octob. 33

D.

Domnina Virgo. 1. Mart. 158
Donatus Eurææ Episcopus. 30. April. 239

E.

Elzearius Comes cum Delphina. 75
Eugenius. 126
Eulogius P. Alex. 13. Febr. vel 13. Sept. 155
Ephræm Syrus. 28. Ian. vel 1. Febr. 144
Euphemia Martyr. 11. Iulij. 259
Eustathius Patriarcha Antiochenus. 5. Iun. 248
Eustratius Thaumaturgus. 6. Ianuar. 132

F.

Franciscus Xauerius. 97

G.

Gaianus mimus. 95
Gelasinus mimus. 95
Golinducha martyr. 13. Iulij. 264

H.

Hildegundis quæ & Iosephus Monachus. 5
Hypatius Episcopus Gangrensis. 15. Nouem. 66

I.

Jacobus Anachoreta. 26. Nouemb. 86
Iacobus Nisibenus Episcopus. 13. Septemb. 17
de Imagine à Christo expressa. 11. Augusti. 280
de Imagine Christi iudicantis. 294
Innocentius Monachus qui Acacius. 26. Nouemb. 81
Ioannes Calybita Monachus. 15. Septemb. 19
Ioannes Chuzubita Episcopus. 3. Octob. 27

Ioan-

Ioannis cuiusdam visum. 23. Nouemb. 77
Ioannes Episcopus Coloniæ in Armenia. 98
Ioseph⁹ siue Hildegundis sacra virgo. p 5
Isaacius Homologetes. 30. Maij 247
Iudæus ingenti miraculo conuersus. Alij Iudæi conuersi. 126
De Iuuene quodam Aegyptio Martyre. 11. Decem. 103

L.

LEontius Antiochię Pontifex. 125

M.

MAcarius Romanus Anachoreta. 23. Octob. 55
Macedonius Anachoreta. 141
Marina. M. 17. Iul. 268
Decem martyres. A C. 726
Mausima Syrus. 23. Ianuar. 137
Menignus Fullo. 15. Mart. 170
Miles anonymus rediuiuus. 28. Apr. 199
Modestus Archiepiscopus Hierosolymitanus. 18. Decemb. fol. 112
Moses Abbas. 28. August. 289
Myro Episcopus. 8 Augusti. 274

N.

NIcolaus ex milite Monachus. 119

P.

PApius Martyr. 28. Iunij. 256
Patricius Episcopus Prusæ. 28. April. 236
Paulus Homologetes Archiepiscopus. 23 Decemb. 117
Petrus Vellius eleemon; eius beata mors. 96
Phileterus Martyr. 30. Decemb. 126
Phosterius Homologetes. 5. Ianuar. 130

Sala-

S.

SAlamanes Solitarius. 23. Ian. 138
Simeon Priscus. 26. Ian. 143
Simeon Stylita. 244
Sophronius Hierosolymor. Archiep. 11. Mart. 167
S. Stephani translatio. 1. Aug. 269
Stephanus dictus iunior. 28. Nouemb. 89
Susanna quæ & Iohannes. 15. Decemb. 110

T.

THalelæus mart. 2. Maij. 242
Theodorus mart. 20. April. 183
Theodosius Cænobiarcha. 11. Ian. 135
Thomais matrona pudicissima & Mart. 14. April. 181
Theoctista Lesbia Virgo. 9. Nouemb. 64
Theodulus. 3. Decemb. 92
Translatio S. Stephani. 1. Iun. 269
Translatio dextræ S. Ioan. Baptistæ. 7. Sept. 12
Tycho Episcopus. 16. Iunij. 252

X.

XEne quæ & Eusebia & Hospita. 24 Ian. 140

Z.

ZAcharias & Ioannes. 17. Nouemb. 68
Zona B. Virginis. 2. Iulij. 291

VIRI-

VIRIDARIVM SANCTORVM EX MENAEIS COLLECTVM.

1. SANCTA APOLLINARIS, 2. Syncletica seu patricia.

4. Septēb. A.C. 405.

HÆC FORMÆ VENVstate, animique solertiâ facile cæteras omnes antistabat; 3. Anthemij, quem Leo Magnus Augustus creatum à se *imperatorem in Occidentem misit, filia, à teneris vsque vnguiculis virginitatis cultrix, diurnis Deum nocturnisq; fatigabat precibus, vti (in perpetuo virginitatis flore tuendo) voti potens redderetur. Enixè etiam à parentibus copiam adeundi Hierosolymam flagitauit. quam cum impetrasset, magno seruorum ancillarumq; comitatu, multoque auro & argento, precioseque veste acceptis profecta, loca sancta frequentauit, sanctaque Christi vestigia venerata, opes omnes in egentes distribuit, vernas manu misit; seniore vno cum eunucho, retento Alexandriam se contulit, vbi in loco campestri sese nonnihil ab itinere recreauit. Hìc illa perbeata, comitibus somno oppressis,

3.

Aliter in annotationibus leges

vicinam ingressa siluam omnes humanas curas abiecit. Iamque longo tempore in illa graui & paludosa vligine versata, sancto corpusculo à paluſtribus admorso culicibus testudinis corium referebat. Hinc (virili
4. cultu sumto) 4. Dorothei nomine adscito.
5. 5. Scetanam solitudinem sanctis frequentatam patribus adijt, seseq; pro. 6. Eunucho
6. gessit, cui suspiciendus ille Macarius domicilium adsignauit, in quo Dorotheus diu noctuque precibus vacauit.

Vestes has iam ante clam parauerat, & ut habet Metaphrastes

Habebat Anthemius, Apollinaris parens, alteram quoq; filiam ab impuro in sessam spiritu, quam ad sanctos viros curandam in Scetam misit, nam de Apollinari reperienda iam omnem spem abiecerat.

** Ita monachos appellabant, latioreque dam & surpatione.*

Patres hanc ad Dorotheum * abbatem adducunt, quæ à sorore Apollinari, Dorotheo nempe, intra paucos dies ab insessore dæmone est liberata, atque à patribus ad parentes salua remissa. Cui domi, cum post aliquot dies vterus fætu intumesceret, pater. 7. suspicatus eam à Dorotheo deuirginatam, expeditos mittit cursores qui Dorotheum sibi sistant. Sed beata illa coram, parenti per nota quædam signa, quæ sit, aperit, omnesq; in summam adductos admirationem, propè attonitos reddit, præsertim cum intelligerent sororem per eam à malo

spiritu

spiritu curatam. Paucos inde dies apud parentes cõmorata, atq; ad solitudinẽ reuersa, neminem vnquam habuit conscium arcanorum. Vnde factũ, vt, cum defunctæ corpus, fœmina appareret, omnes prę admiratione in stuporẽ dati, in laudes Dei, gratiarumq; actiones certatim prouocati erumperent.

ANNOTATIONES.

APollinaris huius meminêre plures : Metaphrastes, Molanus, Maryrologium Romanũ, Baronius 5. Ianuarij, in Menæis infra 4. Ian. eiusdem vita, ijsdem verbis ex Metaphraste summatim delibata repetitur. 1.

Syncletica fortè ab Anthemij patris dignitate senatoria & patricia dicta est. Quamquam hoc vero nomine aliæ sacræ virgines legantur. Scripsit S. Athanasius, Nicephoro Callixto testante, vitam Syncleticæ senioris, cuius summa hoc ipso mense & die in Menæis rẽfertur. Multa extant eius documenta in vitis & institutionibus Patrum. Eiusdem mentio est in Menologio Græcorum 4. Ian. Martyrol. Rom. & Baronio 5. Ian. Molano & Vsuardo. Aliam laudat Syncleticam, vel Syndeticam, vt habet vulgaris editio, Sedulius in Epistola ad Macedonium Abbatem. 2. *Lib. 8. c. 4.*

Variant scriptorum sententiæ de hoc Anthemio, quem Metaphrastes Imperatorem Occidentis à Leone Magno creatum affirmat. 3.

* Alij maiorem Anthemium Anthemij Imperatoris auum existimant, qui tamẽ consularis, præfectus vrbi, & pro Imperatore fuit, cum defuncto Arcadio, pro Theodosio iuniore pupillo, magna * *Baronius Martyrol. 5. Ian.*

cum fide & laude imperium administrauit. Consulatum gessit cum Stilicone secundum consule, anno Christi CDV. cuius laudes & acta recitat ex D. Chrysostomo & Theodoreto * Baronius, qui illum Anthemij Imperatoris * auum nominat, Sidonius Apollinaris hunc Anthemium in Panegyrico Anthemij Imperatoris, Socerum Procopij patris hoc carmine laudat:

5.* Annali.

6.* Annali.

Hunc socer Anthemius præfectus, consul & idem
Iudiciis populos, atq; annum nomine rexit.

Fuit ergo Philippi Præfecti Constantinopolitani illius, qui S. Paulum Patriarcham Constantinopolitanum interfecit, nepos, Procopij socer, Anthemij Imperatoris auus maternus, vir insigni pietate, æquitate, modestia, dignus omninò tali filia pater, & tali patre filia, indignus tam immani auo, de quo Socrates * Eccles. hist. Theodoretus hist. patrum. * D. Chrysostomus Epist. Cucuso missis. Niceph. lib. 14. c. 1. l. 11 c. 1. Tripart. hist. Fuit & Præfectus prætorio, vt ex Constit. Arcadij Honorij, Theodosij constat. Extat eius cum Aphraate sanctissimo Anachoreta, cum ex Persica legatione rediret, colloquium.

* l. 7. c. 1.
* c. 8.

4.

Dorothei nomen sibi adsciuit, sacro monachorum * cultu latendi causa sumto. * Quamquam enim sacræ literæ & literarum sacrarũ interpretes Tertullianus, Cyprianus, & alij hos secuti, rem Deo inuisam & abominandam tradant, si vir fæminam, aut fœmina virum simulet, exponunt tamen legem sacri & politici scriptores, licere pio certoq; fine nonnunquam vestem & nomina permutare, cum id periculum innoxiæ vitæ, vel pudoris, vel etiam honesta piaq; causa permittunt vel exigunt. Quod vsque adeo certum est, vti multæ cum virgines, tum matronæ miris claræ factis &

* Metaphr
* Deut. 22.

operi-

operibus, in Diuorum censum venerint, quales memorantur Eugenia, quæ se Eugenium dixit, cuius laudes omnia Martyrologia cum Alcimo Auito, Fortunato, Altelmo, Metaphraste prædicant: Euphrosina Smaragdus nõ vano nomine appellata, Pelagia seu Pelagius, Theodora Alexandrina, Antonina, Athanasia, Susanna, 15. Decemb. * Marina, Anastasia patricia, Anna, Matrona, Anonyma quoq; illa à Sophronio in prato spirituali laudata C. 170. Et Glaphyra virgo Constantiæ Augustæ Constantini M. Sororis Licinij coniugis pedisequa. Baron. Annal. 3. A. Chr. 316. Iachelina virgo illustris, & soror comitis Apuliæ. Specul. magn. exẽpl. p. 326. Hildegundis quæ se Iosephum nominauit, cuius acta quamuis à Cæsario referantur, libet tamẽ certiora ex Mſ. codice, quem à M. Velsero II. viro amplissimo accepi, per capita breuiter enumerare. Auctor enim vitæ virgini συγχρονος, eodẽ cum virgine loco, tẽpore, cœnobio vixit, vt ipse in præfatione his verbis testatur: *His & huiuscemodi rationũ stimulis cum me recalcitrantem & renitentẽ, frustra licet, adhuc reluctari cernerent, oppositione talis argumenti me vicerunt, inferendo, quod nemo dignius ac plenius vitam beatæ virginis stylo mandare potuisset, quam is qui eam non aliunde, sed ex ipsius ore virginis didicisset, cum ea commorando, conuiuendo, conuersando, positus in domo nouitiorũ. nouitius & ipse nouiter conuersus, in loco, qui dicitur Schonaugia.* Infra, se magistrum postea illi præfectum fuisse scribit. *Vbi domus est ordinis Cistertiensis famosissima & religiosissima, &c.* Et mox infra: *Obsecro igitur legentes, vt fidem dictis adhibeant, nec me credant aliquid amore vel fauore virginis inferre, quod ab ea non acceperim, quod ab ea non didicerim. Mallem potius, Dominum testor, omninò tacuisse,*

* 10. Martij, infra.

quam falsa iactanter & inconsultè pueris intulisse. Hæc in præfatione auctor, qui suum ibi nomen non expressit, & verò prima pagina deest, Et XIII. Illud fortè cuipiam occurrat, cum virgo ante obitum quæ esset, nemini aperuisset, quomodo scriptor dicat, se ab ea omnia accepisse, didicisseque? facilis huic nodo cuneus: omnia pręterita quæ illi euenerant, æque in virum atque fœminam cadunt, vt proinde non fuerit necesse fateri sexum. Sed referamus acta συντόμως καὶ σημειῶδες, quæ prolixè ab auctore sunt perscripta.

Ad quintum infra coloniam lapidem Nouesij oppido, quod Cæsarius Nussiam appellat, claris ortam ferunt natalibus, cuius parentes diu sine spe prolis, assiduas Deo fternebant preces, tandem gemellas vno partu susceperunt; quas studiosè in sacrarum virginum cœnobio Nouesiano curarunt educandas. Pater concepto voto, crucisq; signo accepto Hierosolymam cogitabat. Mater correpta morbo diem suum religiosè admodum obijt. Vnde sperata potitus libertate pater iter adornauit, alteramque ex filiabus itineris sociam cupiebat. (Hagne Deo penitus dedicatâ.) Hildegundis hæc erat, sed obstabat sexus, quem pater vt extra periculum esset, consilio tegendum putauit. Filiam ergo in virum attonsam, virili veste induit, Iosepho nomen indit, viæ comitem adsciscit, nauem conscendit, & aliquandiu secundis auris prouectus, postea morbo tentatur, quem vt fatalem sensit, accersito seruo itineris subsidia tradit, & filiam (quã seruus adolescentulum putauit.) vnicè commendat, domumque post adita Hierosolyma reducendam committit, ipse vita decedit.* Famulus Iosephum Hierosolymã deducit. In reditu ad* Achaonensem portũ pupillam, perditissimum mancipiũ contra

**Cæsarius patrem in reditu, Tyri mortuũ scribit.*

**Mendosa hic opinor scriptura, nisi legas Acconem vel Achuronem.*

contra datam fidem & Sacramentum omnibus spoliatam bonis intempesta nocte destituit. Iosephus cum ducem itineris mane circumspiceret, frustraque diu requireret, infelix pupilla, vtroque orbata parente, à perfido verna prodita, ingenti percussa dolore, quo se verteret non habebat. Sed Numinis orphanorum patris prouidentiâ, præter omnem expectationem adest, qui illam, ratus esse adolescentulum, inter suos receptam Hierosolymam reducit, ibique in * Templariorum ęde collocat, vbi annum versata, sanctaque loca sæpius venerata, incidit in peregrinum quendam popularem & propinquum, qui Hierosolymis de suo cognato diligenter inquisiuit. Deductus ad Iosephum de statu consanguinei cognoscit, filiam, quæ se filium illius quem quæreret affirmabat, in comitatum receptam, in patriam reducit. Antequam Coloniam attingeret, datâ puellæ Iosepho pecuniâ, extinguitur. Ita virguncula inter vtramque fortunam iactata lætabatur se patrium solum aspicere, dolebat de propinqui, à quo tanta fide per terras & maria esset reducta, fato. Coloniam ingressa, refectis ex itinere viribus, Dei ductu ad cuiusdã Canonici amplas ædes defertur, hospitioq; peregrini adolescentis nomine suscepta, cum post dies aliquot abitum pararet, rogatur à Canonico maneret, si hospitium non esset molestum: persuadetur. Erant Canonico controuersiæ cum Philippo Archiepiscopo Colonienſi propter sororem antistitam cœnobij cuiusdam, & neptem Archiepiscopi, quam præficere præ altera conabatur virginibus præsul. Erat præterea de Treuirorum pontificatu certamen, VVolmarus, an Rudolphus Archiepiscopatum teneret. Ad summum pontificem à VVolmaro appellatum fuit. Canonicus

* *Ordo fuit Hierosolymis, de quo D. Antoninus part. 2. tit. 15. cap. 20. & in notis ad idem caput Et tit. 17. c. 1. §. 3. habitũ spectabis apud Iodocũ Ammanum, cum Francisci Modii Octostichis.*

nicus Colonienſis ſimul ſuam controuerſiam apud ſummum pontificem expediturus periculoſam legationem & occultam ſuſcipit. Nam Fridericus Imperator, qui cum paucis pro Rudolpho ſtabat, omnia itinera obſederat, ne literæ per nuncios Romam mitterentur. Canonicus Ioſephum quamuis reluctantem, ob linguarum peritiam, itineris comitem ſibi adiunxit. literas ſcipione incluſas geſtat. Primumque Moguntiacum, mox in Auguſtanæ ditionis oppidum Zuſmarhuſium, quod inter Auguſtam & Dilingam eſt, venit. Imperatoriam enim vrbem Auguſtam Vindelicorum, vbi multi ex aula Imperatoris Palatini agebant, quod literis metueret, ſtudio declinarat. Hanc tamen relictis Ioſepho literis, & ſcipione, vti ſe pedes mox ſequeretur, expeditus equo tranſit. Sed Ioſephus dum vicinum nemus intrat, in furem, quaſi viatorem, delabitur, quem ſpoliati, priori nocte, incolæ Zuſmarhuſiani perſecuti veſtigabant, quos fur eminus ſentiens, ſaccum in quem furta coniecerat, Ioſepho quaſi mox rediturus ſeruandum tradit, ipſe inter dumeta proſpectans euentum rei expectat. Oppidani aduolant, Ioſephum ſacco inſidentem comprehendunt, cædunt, reumque furti peragunt, negantem & reclamantem etiam contumeliis onerant, & vi in forum pertrahunt, capitisque ſententiam in inſontem perinde ac furem pronunciant. Ioſephus cum videret ſibi extremum imminere exitium, rogat ſacerdotem, cui noxias ſuas aperiat, ſacramque ſynaxim innocentiæ vltimum aſylum percipiat. Sacerdos Ioſephi innocentia, & furis nequitia cognita, perſuadet populari-
bus ſontem, inquirerēt, adoleſcentem enim omni
culpa videri vacare, Repertum* ad Ioſephum ad-
ducunt, vtrumque coram certantes audiunt. Io-

*in ſilua.

ſephus

ſephus eum ipſum eſſe, à quo ſaccum ignorans accepiſſet, pernegare alter. Cum longa altercatione nihil ꝓficeretur, neq; vter reus eſſet ſciri poſſet, ſacerdos iudicium* ferri candentis proponit, quod innoxiis tractat manibus Ioſephus, vritur alter, & ſuſpenditur. Propinqui furis, indignati, Ioſephum abeuntem per inſidias in ſaltu excipiunt, atque in eadem arbore nectunt, in quam actus erat reus. Hic Deus iñocentiæ teſtis & patronus virgini ſuccurrit, cęlitemq́ue mittit, à quo, ne pendens elideret fauces, gulámue frangeret, ſuſtentaretur. Quin & diuinâ quadam harmoniâ pendentem mulcet, quod cum miraretur Ioſephus, rogaretq́; qui eſſent; reſpondit, tutelaris ſpiritus, ſe beatos eſſe cælites, in auxilium ei miſſos, Symphoniam verò illam in ſororis Hagnes (quæ modo in Noueſiano Virginum cœnobio ad cœlum defuncta abiret) gratiam inſtitutam, vt ita inter beatarum mentium gratulationes cũ triumpho templa cæli ingrederetur. Permouit interim Deus vicinos opiliones, qui ibi paſcebant, vt ſuſpenſam à furca detraherent. Detractam dum ſoluere cogitant, luporum ſubita incurſione, qui in armenta graſſabantur, auerſi iacentem & ligatam relinquunt. Sed diuinitus ſoluta ſurgit, & ab angelo cuſtode in candidiſſimnm equum impoſita Veronam, quo herus eius iam peruenerat, deportatur. Accipitur à Canonico ingenti gaudio, á quo iam de eius aduentu deſperatum erat, miratur eius caſum, & diſcrimen miſeratur, ſalutemq́ue gratulatur, ac ſecum Romam adducit, confectisq́ue negotiis in Germaniam ad Nemetes, vbi præſidem iudicii & controuerſiæ Epiſcopum quærebat. Sed cum Spiræ non eſſet, Canonicus Ioſepho poteſtatem fecit, aut Coloniam redeundi, aut ſpiræ ſuum aduentum

* *De hoc genere defenſionis tum vſitati, fusè diſputat noſter Delrius Diſquiſ. Mag. l. 4. c. 4. q. 4. ſect. 3. vbi varia adducuntur exempla.*

præstolandi, ad Episcopum enim properabat. Iò-sephus cuiusdam religiosæ Virginis Mechildis domum ingressus hospitio accipitur, & ad scholas publicas, cum liberalis appareret indolis, mittitur. Nec multo post à Bertholdo, qui paulo ante ex milite monachus erat factus, Schonauiam deducitur, vbi in album tironum cœnobii adscriptus, in religiosum ac monachum tondetur, nemini quippe sexus arcanum prodidit. Hic omnia generosi tironis Christi officia màgno & virili animo explebat, cantabat, studebat, laborabat. Quamquam literis leuiter tincta, commissa est vni ex religiosis doctiori, qui vitam ipsius postea aliorum rogatu conscripsit. Biennium ita prope totum exegit, omnibusque singularia pudoris, & modestiæ, virtutumque omnium documenta suo exemplo dedit. Nec vllum virginitatis periculum unquam adiit, quod Deus eam ex ea parte oppugnari forte non permiserit, cum se thesaurumque suũ totum Deo consecrasset. Ab alia parte tamen circa finem secundi añi vsq; adeo graues hostis tartarei insultus est passa, vt omninò de deserendo cœnobio, & abiicienda religiosa veste decerneret. Et iam tertio ad portam descenderat, vbi monachum exueret, & erumperet, cum subitò, diuinitus opinor, magno intestinorum dolore afflicta, magnam etiam vim sanguinis profudit, qua re adeo fracta est, vt ad lectulum relata indies magis ac magis deficeret. Vltima tandem Cineralium dierum hebdomade, ad vltima peruenit. Accersito ergo magistro suo statum vitæ vltimum exponit, à quo de peccatis omnibus per confessionem expiandis grauiter admonetur: paratam se respondit esse ad omnia: rogata à sacerdote inter alia, vt solet', an nunquam consuesset cum fœminâ: nec cum fœminâ, inquit, nec

cum

cum viro: vnde illius constitit integritas, mirabatur tamen ille qui confitentem audiebat, hoc ipsius responsum. Sed quorsum tenderet, post mortē intellexit. In morbo, qui ægris assistebat Monachus, cum iacentem & languentem leuaret, gestaretque prout vsus est, sensit se (tanta est naturæ vis & cognatio etiam in ignaris.) nonnunquam prauis cogitationibus atque desiderijs commoueri: vnde & vexatus aliquando motu prauo: aut hic, inquit Monachus, est diabolus aut fœmina. Sed illa omnibus munita sacris XII. Calendas Maias, anno Christi M. CLXXXVIII. feria quarta Paschæ beatam Deo animam, vitamq; auctori vitæ edidit reddiditq;. A morte, cum virgineum illius corpusculum, vt mos fert, secundum pectus lauaretur, ex fascia pectorali, qua tumorem vberum coërcuerat, notatur fœmina. Res Cænobiarchæ properè significatur, qui commisso quatuor senioribus monasterij patribus negotio, mandauit, viderent, vera ne essent, quæ de Ioseph dicerentur, referunt, certo esse fœminam. Concurritur vndique, ploratur, Deoq; simul gratiæ aguntur, qui talem gemmulam ac thesaurum religiosis Schonauiæ quasi custodiendum credere voluerit, quem ipsi tamen ante Virginis mortem apud se latere nescijssent. Cum omnium stupore, gaudioq; confuso lacrymis, honesto tumulo commendatur, ac nomen eius ex Nouesiano Virginū cœnobio discunt Hildegundem appellatam, extat apud Cæsarium tam simplex quam verum hoc eius Epitaphium:

Hoc Cæsarius refert

Omnis homo miretur, homo quid fecerit iste,
Hæc cuius fossa cineres inclusit & ossa.
Mas viuens paret, moriens (ed fœmina claret.
Vita fefellit, morsq; refellit rem simulatam
Hildegunt dicta, vita est in codice scripta
Maii bis senis hæc est defuncta Calendis.

Sec-

5. Scetana eremus seu Scetina, siue Scithiaca à σκήτη seu σκιτις siue σκιθις dicta magnâ sanctorum patrum frequentia nobilitata, Aegypti saltus est circa Maream lacum. Socrates lib. 4. c. 18. Callistus lib. 8.

6. Pro eunucho se gessit, vt esset extra sexus suspitionem. Hinc opinor, S. Saba, fortè * nonnunquã deceptus decreuit, vti nullus in cœnobium suum nisi barbatus admitteretur.

*Quãquã in eius vitâ, alia referatur causa, impuberes n. anachoretis & monachis peri culacreare Quod & D. Basilius affirmat

Poterat & tribus illis Athenienſium virginibus ignoſci, quæ ſtudio ſapientiæ, incenſæ mutarunt veſtes, vt publicè docentem in Academia poſſent audire Platonem.

Poterat & Spartanis coniugibus, quæ viros ſuos è cuſtodia beneficio mutatæ veſtis eripuerunt, vadesq; interim ipſæ in carcere virili tectæ veſte latuerunt. Val. Max: lib. 4. c. 6.

Sed non ferendæ, quæ non optimo fine, militari habitu caſtra ſequuntur, vti nuper Margarita quædam, Danielis nomen ementita, ſeptem ſtipendia fecit, vxorem duxit ipſa vxor, ac tandem vir fœminam, cum ſe hermaphroditum finxiſſet, edidit, & quæ alia deſignauit, literis patriâ linguâ commendata leguntur.

7. Idem crimen Marinę, quæ Marinum ſe nuncuparat, impactum, vt in hiſtoria eius leges, nec rarò in alijs ſanctorum geſtis id genus criminationis ſanctis obiectum, plura infra.

SYNAXIS S. IOANNIS BAPTISTAE ET DEXTRÆ illius translatio.

7. Sept. Eadem hiſtoria narratur 7. Ianuarij.

Poſtri-

POstridie † Theophaniorum † celebramus Synaxin sanctissimi vatis & prodromi Baptistæ, quam ex prisca retroque accepta consuetudine seruamus, aliis illius festis diebus adiunctam, ne quid de miraculis illius taciti prætereamus. Concurrit autem & venerandæ illius manus ad †regiam vrbem translatio, quæ hoc facta est modo.

† *Epiphaniadomini*
† *Festum diem*
†*Constantinopol.*

†Sebaste,vbi Præcursoris corpus humatum dicitur, Lucas Euangelista,dextram ex prophetæ corpore manum detraxit,secumque Anthiochiam deportauit, vbi plurima designauit miracula. Inter quæ draco erat in finibus illis latitans,quem ciues Deum arbitrati anniuersario sacro,homine per Græcanicam sortem delecto colebant.

† *Ciuitas diurno itinere Hierosolymis distans ab Herode cõdita.*

Accidit dein progressu temporis, vti Christianum sors attingeret, qui draconi †filiam suam victimam obiiceret. Draco quippe è speleo suo proreptans, vt inexpectatum subito portentum parebat, atque immane hians victimam hauriebat, ac dentibus horrendum in modum discerpebat. Quapropter virgunculæ parens Deum, Diuumque Ioannem multis lacrimis deprecatus,filiam vri suam â tam atroci & infami letho eriperet, huiusmodi artificium comminiscitur. Impetrat potestatem colendæ sanctæ , Præcursoris manus ; quam dum

† *Virginẽ pubertatis annos ingressam.*

* exoscu-

†exoſculatur, clam dentibus pollicem morſu auellit, deſideratoque pignore potitus templo egreditur, diéque ſacrificii deſtinato, populo frequentiſſimo filiam pater apportat, proximusque iam draconi, poſtquã illum aperto rictu hiantem vidit, hoſtiamque anhelantem, ſacrum illum digitum in medias hiantis fauces coniicit, quo ille bolo repente interemptus concidit, paterque filiam necato dracone viuam retulit, ingensque miraculum atque genus liberationis admirandum publicè prædicauit. Populus inuſitati facti portento attonitus, perſolutis Deo & Dei prodromo Ioanni gratiis, magnificentiſſimam † ædem ſuis ſumtibus exædificauit.

†Ne aduerterẽt cuſtodes, pecuniã, quaſi imprudens in terrã effudit, ad q̃ flexere oculos & manus cuſtodes.

†κρεμαστὸν dicitur ab altitudine in qua digitus repoſitus eſt Met. ca. 14

Dicitur Epiſcopus die ſacro S. cruci exaltatæ, venerandam hanc manum, ſpectante populo, ſublimem tollere, eamq; dũ tollitur, ſubinde explicari, ſubinde per ſe contrahi: atque per explicatam quidem manum frugum vbertatem portendi, contractione verò, añonę caritatem denunciari.

Quapropter multis Imperatoribus in votis erat, ſi qua ratione per translationem fieri poſſet, vt illa manu potirentur, præſertim Conſtantino & Romano Porphirogenitis. Vnde & † his imperitantibus, ab Anthiocheno quodam diacono, qui Iobus audiebat

†. AC. CMLVI. Ioãne. XII

diebat, circa horam illam vesperti nam, quã Christiani veteres pro more diem luminum celebrantes Sanctificationis mysteriũ peragebant, sacra præcursoris dextra subducta & translata (Constantinopolim) est, quã Imperator, religiosissimus pietatis cultor, magno desiderio exosculatus, in regia deposuit.

P.R. Constantino VIII. sole 45 Baronius in Annali. x Vide 3 sept in Menæis.

ANNOTATIONES.

EXtat hæc historia fusius, apud Metaphrastem xxix. Augusti in cæde D. Ioannis Baptistæ descripta. Celebrabatur memoria huius manus ἐν τοῖς φοραικίῳ. Quæsitum est quo loco reposita fuerit manus D. Ioannis Baptistæ Constantinopoli. Verba in Menæis Venetijs, anno M. D. LI. in folio editis hæc leguntur: τελεῖται δὲ ἡ αὐτῆ σύναξις ἐν τοῖς φοραικίῳ. quis ergo locus ἐν τοῖς Φοραικίῳ; Respondit mihi per literas doctissimus noster Gretserus, & affirmauit in suo Menæorume exmplari, legi ἐν τοῖς *ΣΦοραικίῳ. Id porro templũ non fuisse in Hebdomo sed alibi: de quo in originib⁹ Cõstantinopolitanis ex Boica Bibliotheca petitis, nec dum editis ita scriptum reperitur: Τὸν δὲ ἅγιον Θεόδωρον τὸν Σφωρακίῳ ἔκτισε Σφωράκιος πατρίκιος ἐν τοῖς χρόνοις Ἀρκαδίῳ καὶ Θεοδοσίῳ υἱῷ αὐτῆ. εἰς δὲ μέρος τῆς ἐκκλησίας εἰς πίνσὸν τῶν κατηχομένων ἐπέθηκε χρυσᾶ κεντηνάρια τρία, καὶ παρῆλθον χρόνοι ϛλγ. ἐν δὲ τοῖς χρόνοις τῆ μαυρικίῳ ἀνῳκοδόμησεν αὐτὸν κτίσας καὶ εὐκτήριον τῆ ἁγίᾳ Γεωργίῳ ἐπὶ δὲ τῆς αὐτοκρατείας τῆ βασιλέως λέοντος ἀνελθὼν ῥωμαῖός τις τῆ ἐυξασθαι εἰς τὰς ναὰς τῆς πόλεως, εἶδε ῥωμαϊκὰ γράμματα τὰ λέθινα ἐπὶ τῆ πίνσου, καὶ τῷ δυνάμιν αὐτῶν γνὰς ἐγνώρισε τῷ βασιλεῖ λέοντι, καὶ

* ΣΦωρακίῳ lege. ap. Suidã ΣΦωράκιος

καὶ ἔδωκεν αὐτῷ τὸ χρῆμα, καὶ ἐποίησεν αὐτὸν Ἰλλούστριον δοὺς αὐτῷ καὶ χάραγμα λίτρας τριάκοντα. τὸν δὲ πρόδρομον τὸν εἰς τὴν κόγχην αὐτοῦ ὁ Σφωράτιος ἀνήγειρεν. Quæ ego sic intelligo. S. Theodori templũ quod Sphoratij dicitur, condidit Sphoratius patricius Arcadij & Theodosij eius filij temporibus. Ad partem vero templi in Pinso Catechumenorũ appellati, contulit auri pondo tria. Annis porro CXXXIII. elapsis Mauritius Imperator illud instaurauit, sacellumq́; D. Georgio adiecit. Imperante postea Leone, Romanus quidam pietatis & religionis causa Constantinopolim venit, vti sacras illic ædes venerabundus obiret, qui, cum in Pinso characteres Latinos videret, & quid indicarent, intelligeret, exposuit rem Imperatori, qui Romanum in Illustrium, vt vocantur, ordinem relatum auro signato triginta librarum donauit. S. verò Ioanni prodromo Sphoratius templum in loco, quem Concham appellant, excitauit.

Fuit & alia ædes D. Ioanni condita Constantinopoli à Studio quodam itidem Romano illustri, quem Ecclesiastica laudat historia cum Marcello.

lib. 15. c. 23

Ab Antiocheno Diacono Iobo] Apud Metaphrastem & Curopalaten dicitur Iob, hic Diaconus. Antiochia porro ea tempestate in Saracenorum potestate erat, capta A.C. DCXXXVII. mansitq́; in eorum ditione vsq; ad MXCVIII. Baronius t. 8. Desiderabant ergo Christiani hanc manum ereptam ex barbarorum potestate, quam olim Iustinianus transtulerat sed remiserat Antiochiam.

† A.C. 956 Idem Romam trãstulit Edessa Cõstantinopolim

In Regia deposuit] Curopalates. † Adducta est eodem tempore ex Antiochia in vrbem regiam veneranda Præcursoris manus, à quodam Diacono, Iob. nomine, furto rapta, quæ cum ad Chalcedo-

cedonem peruenisset, Imperator missa regia triremi, & Senatorij ordinis principibus, egresso quoque obuiam Patriarcha Polyeucto, toto comitante clero, cum facibus & lampadibus & thure eam in regiam perduxit.

Christi imaginem ad Abagarū quondā missum A. C. 954. de qua infra.

Iuuat hanc salutarem dextram sacro carmine venerari.

Salue dextra potens Domini cui tingere fas est
Purius Hesperio sidere fonte caput,
Dextra potens salue mundi cui tempora parent,
Terraq; vel profert iussa vel abdit opes.
Amphitruoniades toto quam corpore Lernam
Cadere vix potuit, pollice Diue potes?
Pollice si tantum potes vno sternere monstrum,
Quid manus ipsa potest, quid potes ipse manus?
An quia dextra Deum tetigit, Deus haesit in illa?
Et facit ipse Deus, quod facit illa manus?

S. IACOBVS NISIBENVS EPISCOPVS.

Idib. Sept. 13. A.C. 335.

HIc Nisibi inclyta vrbe natus & educatus, cum vitam quietam & à turbis remotam affectaret, altissimos rupium vertices occupauit, inopemque solitudinis asperitatem generoso cõplexus animo per æstatem vrebatur, per hyemẽ frigore & rigore vexabatur. in cibũ quod inculta tellus vltro proferebat: in potionem, certum aquę modum adhibebat, simplici vnicoque contentus indumento. Et in corpus quidẽ hos sumptus faciebat, animum verò cœlestibus

epulis assiduè saginabat, vnde illi ad Deum liber accessus,& magna familiaritas. Nam & futura præsensit, & miraculorum patrandorum à sancto Spiritu gratiam accepit. Etenim cum fortè ad locũ quempiam peruenisset,impudentibus quibusdam mulierculis propter fontem conspectis,fontem illico siccauit,crinesq; illorum in canos deformauit. Sed aquam rogantibus restituit, canos non mutauit. Et iudicẽ quendam Persam , iniqua sententia innocentes opprimentem ingenti sublato saxo elisit.

Fusius omnia Palladius.

Illudentibus ei quibusdam, & sociorum quendam suorum extinctum simulantibus, cum per ludibrium, vt illum excitaret,rogaretur, reipsa † verbo extinxit. Sed fatigatus seriis precibus in vitam reuocauit. Postquã Nisibenam conscendit cathedram, Nicænæq; Synodo interfuit, Arium damnatum, & nihilominus postea templum ingredi conantem precibus è medio, visceribus Arii disruptis,eximius hic Iacobus sustulit.

† *Idem in D. Epiphaniis actis legitur.*

Saporem Persarum regem Nisibin obsidione prementem, machinasque plurimas submolientem, solo(post mortem)aspectu auertit, Persasque in fugam conuertit, immissis nempe ingentibus culicum vesparũque examinibus,à quibus cum equi elephãtique assiduè fodicarentur, abruptis frenis

& habe-

& habenis præcipites aufugerunt. quod rex cum spectaret, inops consilij re infecta domum se recepit. His D. Iacobus prodigijs nobilitatus summa ætate, beata potitus pace obdormiuit.

ANNOTATIONES.

OMnes sacri (*a*) Fasti seu Romani, seu Bedæ, Notkeri, HRabani, Vsuardi, Adonis celebrãt hunc decantatissimum Iacobum (*b*) Menologiũ, Menæa rursum 13. Sept. Acta Iacobi composuit (*c*) Theodoretus, (*d*) Gennadius, Cassiodorus, (*e*) Nicephorus, Palladius, Baronius, Anno C. 338. Annali. 3.

a] *15. Iulij.*
b] *pridie Cal. Nou.*
c] *Theod. e 1. Hist. 1. c. 7, li. 2. c. 30.*
d] *De Viris Illust. c. 1. lib. 8. c. 14. li. 9. c. 28.*

S. IOANNES CHRISTI CAVSA MENDICVS, quem Calybitam nuncupant.

15. Sept. 17. Cal. Octob. *15. Ian. idẽ in Menais & Martyrol. Romano. Menol. Graco.*

IOannes Constantinopoli patre Eutropio senatorij ordinis, matre Theodora natus, in ipsis primæ adolescentiæ annis, à litterarum officina, clam parentibus & pędagogis, cuidam se monacho addixit, & cœnobium * Acôemetorum ingressus, ibi remotam à turbis vitam complexus, duræ admodum disciplinę religiosorum adsueuit. Postea verò quam illi veterator improbus Philtrũ poculúmue desiderio parentum mixtum, propinauit ac tentauit, etiam in hoc certamine aduersarium deiecit. Etenim cum se-

* *quasi dicas semper vigilantium.*

ipsum præfecto monasterij aperuisset, rogassetq;, vt omnium se patrum votis commendaret, qui consilium suum adiuuarent, mendicabuli centonibus indutus, pannisq; obsitus, ad paternas ędes properat, vbi annis aliquot gurgustio incluſus à vernulis, seruisq; domesticis pro ludibrio habitus, ante vestibulum degebat, cum interim parentes cum ingenti prodire pompa spectaret, & seipsum veste vilissima ignotum redderet. Morti demum vicinus matri aduocatæ Euangelium auro pulchertimè exornatum, quod ab illa, dum ludum obiret literarium, puer acceperat, pro signo quo se, quis esset, aperuit, exhibet, & animam simul in manus domini edit.

ANNOTATIONES.

ILluſtrius est etiam in Latina Ecclesia S. Alexij factum, cuius vitam & acta qui nescit, næ ille historiæ Christianæ est valdè imperitus. De hoc scripsit præter Metaphrasten Nicephorus lib. 15. c. 23. qui mentionem illius tantum facit. extat & MS.

30. Sept. prid. Cal. Octob.

MEMORIA SSS. PPP. NOSTRORVM, DOCTORVM ECCLESIÆ, BASILII M, GREGORII THEOLOGI, S. CHRYSOSTOMI.

30. Ian. eadē narratur historia.

CVr hæc trium patrum celebritas instituere-

tueretur, causa hæc fuit. Alexio Commeno Imperante, qui Nicephoro Botaniatæ in imperio succeſſit, Conſtantinopoli inter viros eruditos & optimos nata eſt controuerſia: quorum alij Baſilium Magnum (Gregorio Theologo & Chryſoſtomo) anteponebant, cùm propter ſublime dicendi genus, tùm quod naturæ myſteria egregiè pernoſſet & explicaret. Et verò maxime, quod virtutum præſtantia proximè à cęlitibus abeſſet, neque quidquam vulgare aut populare ſaperet, ſed moribus quoque graue quid ac diuinum, nihilque humile aut terreſtre ineſſet: Chryſoſtomum verò illo minorem faciebant, quod facilis eſſet, ac natum quid haberet, quo hominum animos ad pœnitentiam permouebat. At verò illi qui præ alijs D. Chryſoſtomũ celebrabant, & extollebant, per conciones eius ſeu ſcripta ac documenta, ſingulari quadam lenitate verborum ac humanitate temperata omnes doceri, & ad ſcelerum deteſtationem ſimul copia quadam mellita orationis & ſententiarum impetu præ Magno Baſilio & Gregorio, duci trahique dictitabant. Qui autem pro Gregorio Theologo defendebant, ornatum eius & cultum, varietatem vimque dicendi penetrabilem, ac floridum genus orationis prędicabant, quibus omni-

um scriptorum & priscorum eruditionis nomine celebratorum, & nostro æuo florentium ingenia & doctrinam superaret. His ergo palmam Gregorio assignantibus, duos verò alteros (Chrysost. & Basilium) ab hoc proximos iudicantibus, populus, vt fit, in partes discessit, vt alij Ioannitæ, alij Basiliani, alij deniq; Gregoriani vocarentur.

His ergo appellationibus seiuncti, cum de scriptis illorum ac monumentis certarent, aliquanto post tempore, tres isti inclyti Ecclesiæ heroës Ioanni Euchaitarum antistiti, cætera non indocto, quin & genticis literis probè erudito, vt lucubrationes eius ostendunt, in virtutum verò studio summam vitæ sanctitatem indepto, in somno, non per somnium apparent, primum singuli singulatim, deinde simul omnes ac vna voce: Nos, inquiunt, vnum sumus apud Deum, nec inter nos pugnamus, aut nobis aduersamur: Sed opportunis temporibus singuli à diuino impulsi Spiritu, salutaria mortalibus documenta tradidimus, & edidimus, quæ de diuinis literis, sacrisq; mysterijs ante meditati eramus: nullusque inter nos primus, nullus secundus, sed vnũ si nominaris, omnes es complexus. Quapropter surge & dissentientes pacem cole-re iube. Etenim nobis olim viuis, posteaq;

mortuis

mortuis, hoc vnum semper erat studium, vt omnes omnium mortalium fines ad pacem & concordiam reuocaremus. Tu ergo vt decet, nostrum singulorum diem festum vna celebritate perage, & morem hunc etiam ad posteros transmitte, tanquam vnum simus in Domino. Omninò quippe nostri memoriam ac diem festum agitantibus cultum illum salutarem efficiemus. Et nos omninò videmur aliquid posse apud Deum. His dictis in cœlum abire sublimes visi sunt, immenso lumine circumfusi, nominatim se mutuo appellitantes. Ioannes ergo ille Euchaitarum præsul vir planè diuinus surrexit, & quemadmodum sancti illi monuerant, rem confectam dedit, populumq; & dissidentium partes composuit, erat enim singulari sanctitatis opinione celeberrimus, & diem festum ad honorem Numinis agendum instituit. Et vide sis obsecro viri prudentiam. Cum enim animaduertisset omnes tres * Ianuario mense celebrari, Basilium quidem primo, Gregorium quinto & vicesimo, D. Chrysostomum septimo & vicesimo die, rursum vnum ac cōmunem omnibus diem eiusdem mensis tricesimum consecrauit, nouisq; versibus & elogijs, encomijsque vt par est, exornauit, quod illorum opinor suggestu factum est,

* *Vide ad notationes.*

quando nulla ex parte ſuis laudibus deſtituuntur: quæcunque enim ex illo tempore factæ ſunt, aut fient, ab illis tunc factis ſuperantur.

Erant porro ſancti illi habitu corporis & forma tali: D. quidem Chriſoſtomus corporis ſpecie & ſaturâ parua, caput grande humeri ſuſtentabant, tenuiſſimus ipſe ac macie ſumma confectus, naſo iuſto, naribus paulò latioribus, pallidiſſima facie, in candorem tamen declinante, cauis luminibus atque introrſum recedentibus, *pupillis gandiuſculis, vnde factum eſt, vt gratũ quid & amabile ſpectantibus radiando euibrarent. quamuis cæteris corporis & oris lineamentis mœſtum quid prę ſe ferret, cũ extenuata, ſed lata & magna eſſet fronte, rugis vndiq; ſulcata, magnis auribus, mento puſillo & anguſtiſſimo; canis effloreſcente, genis cauis & quaſi cõpreſſis penitusq; ieiunio exhauſtis. Hęc erant dicenda de illo, quod vi dicendi & præſertim motu animi, vigoreq; mentis & ingenij facultate, & cultu floreq; orationis facile Græcorũ omnes ſapientes excelleret. Sacram verò ſcripturã, vt nemo alius, clarè perſpicueq; expoſuit, tantasq; res prædicando Euangelio effecit, quod niſi fuiſſet hic ſanctus, Chriſtum (ſi fas audentius loqui) noua neceſſitas adactu-

* βόλβοις μεγάλοις.

Vide notas

ra fuerit ad terras secundo aduentu reuisendas (vt orbem terræ ad tribunal supremum reum citaret ac iudicaret.) In virtutis cum vsu, tum contemplatione tantum profecit, vt sine controuersia omnes superaret, fons benignitatis & charitatis, in pauperes fraternitatis amans ac magister. Vixit annos tres supra sexaginta. Administrauit Christi Ecclesiam annos sex.

S. verò Basilius corpore erat procero, recto habitus incessu, siccus & minimè carnosus, coloratus ac subniger, facie vultuq; pallore temperato, naso decenter magno, supercilijs rotundis, cõtracta fronte, vt meditanti videretur similis, vultu aliquantulũ caperato, genis oblongis, cauis temporibus, modice tonsus, barba decenter promissa, canisq; adsperſa. Hic eloquentiâ non suos tantum æquales, sed priscos etiam vicit. Nam omne genus literaturæ complexus in omnibus excelluit. Nec minus interea sapientiæ studium vsu ipso exercuit, quo in contemplatione naturæ progressus, etiã ad Episcopatus dignitatem est euectus, cũ annum ageret tricesimum, vixitq; in pontificatu annos quinque.

B. autem Gregorius ille Theologus statura mediocri erat, gratáq; magis breuitate, subpallidus, naso simo, rectis supercilijs.

vultu placido & modesto, oculorum altero, dextro inquam, tristiori, quem & cicatrix in hirquo contrahebat: barba non admodum promissa, sed recta & densa, decenti capitis caluitie, capillo cano & niueo, lanugine quasi fumum referente. De quo hoc iure dici potest. Si imago aut statua figurâ humanâ efformanda esset, ex omnibus ac singulis virtutibus conflata, talem in hoc eximio Gregorio effulsisse, qui vitæ splendore laudatissimum quemque superabat. Tantum autem in cœlesti Theologiæ disciplinâ promouit, vt omnes ab illo se vinci scirent, siue doctrinam siue eloquentiam spectares, vnde & Theologi nomen est adeptus. Præfuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ annos duodenos, vixit vltra octuagesimum.

Solennis Diuorum inuocatio.

Horum, Christe Deus, votis trium, Diuumq; omniũ, sectas omnes euerte, & nos in concordia & pacis tranquillitate custodi, regnoq; tuo cœlesti dignare, quoniam tu in omnium sæculorum æternitates es benedictus, AMEN.

ANNOTATIONES.

IAnuario mense] De Basilio magno Fasti Romani Martyrum, Cal. Ian. Multa ad hunc locum Card. Baronius.

Gregorium XXV. Ian] In latina Ecclesia celebra-

celebratur 9. Maij, In Græca 19. Ian. & 25. eiusdem. Ita Menologium, & constitutio Emmanuelis Imperat. tit. de Ferijs.

Chrysostomum XXVII.] Martyrol. Latina eodem die. plura C. Baronius.

Oportuisset Christum redire] Ita in gestis S. Dominici à Theodorico scriptis, mundo Christus præsens exitium legitur minitatus, sed per suã Dei matrem placatus. vide & S. Francisci vitam, & Cæsarium lib. 12. c. 58. Et lib 7 cap. 2. de imagine B.V. sudante. Ceterùm huic gemina legitur historia, de quibusdam certantibus an S. I. Baptista maior esset S. Ioanne Euangelista. Vide orationem in hos tres heroas Philothei Patriarchæ Constantinopolitani nuper Græcè & latinè, per nostrum Iacobum Pontanum editam, ac Philippi Solitarij Dioptræ adiunctam, in qua primum generatim omnes, dein speciatim singuli laudantur. *Cap. 12. li. 1. & lib. 2. c. 1.*

S. IOANNES CHOZEBITA. SEV CHVZVBITA EPISCOPVS CÆSAREÆ.

Iustino Imperante a. 8. A. Ch. 525, 3. Octob.

IOannes hic noster S. Pater Thebis in Aegypto natus, cum religiosam ab auo vestem indutus, se cuidam seniori cõmisisset, Hierosolymam adijt, sancta veneraturus loca, reuersusq; ad auum, seni adhęsit. Dein egressus cœnobium, reperto in ardua & inclementi rupe, antro, ibi sedem fixit, glandibusq; vitam tolerauit. Huius cum Deus virtutem mortalibus vellet spectandã proponere,

ponere, ita declarauit. Ananias quispiam eximius in Christo palæstritâ, passimq; celebratus non procul inde degebat, ad quem cum præpotentis cuiusdã filius à malo dæmone & impuro spiritu infestus, adductus esset, ab hoc non est receptus, sed ex animi demissione illius hortatu ad interiorem solitudinem, vbi Ioannes hic Aegyptius agebat, dimissus, vt Ioannem inuestigaret: ad quem vbi, qui missi fuerant, peruenerunt, causam aduentus sui illi exposuerunt, qui primum nullis precibus adduci potuit, vti precando spiritum impurum pelleret: tandem fatigatus ab illis, cœpit precari, versusque ad dæmonem: impure dæmon, inquit, in nomine Iesu Christi, non ego, sed Ananias ille Dei seruus imperat tibi, vt à puero hoc exeas. Hoc cum impurus spiritus à S. viro audisset, exijt, puerq; sanus ac integer est redditus. Quod vbi fama longè lateq; distulit, quamuis recusans, coactus est Cæsareæ pontificatum suscipere. Enimuero cum sibi nullam quietem & religiosæ vitæ partẽ concedi videret, deserto episcopatu redijt in eremum. Sed enim nouit agricola thesaurum, qui puellam deterrimo spiritu occupatum & vexatũ sportulæ imposuit, herbisq; tectum ad viri sancti fenestram suspẽdit ac se subduxit. Eiulatu pueri excitus vir

ἐν χῷ.

sanctus

sanctus, vidit intellexitq; puerum ab impuro spiritu vexari, quem mox pulso dæmone curauit: sed pulsus in exilium dæmon haud quieuit; hominis enim ementitus formam, viro sancto in præruptis reperto, ad pedes veluti sanctam ab illo precationem petiturus accidit; quo spectaculo Dei famulus repente perculsus, pedibus à dęmone conuolutis, inuerso corpore in extremam & altissimam rupis vallem & hiatum in caput deuoluitur. Sed nihil inde precij tulit nefarius parricida; innoxium enim cælestis gratia virum sanctum præstitit. Deinde (idē hostis mortalium) latronē in eum immisit, à quo nunc pulsabatur, nunc vestibus spoliabatur, nunc eius casa exurebatur. Cum inter hæc omnia vir sanctus hoc vnum diceret. Si tibi domine hæc ita visa, laudō, gratiasque ago. Audiuit é cœlo Dominus, comprehenso enim per magistratum latrone, dirâq; morte animâ à corpore conuulsâ, seruus Dei non mediocriter est releuatus. Sed neque sic quieuit perditus veterator, cuniculos contra illum agendo (& fossam in quam caderet fodiendo.) Etenim cum vir sanctus fratrum domicilia & cœnobia reuisendi causa obiret, muliercula in transitu viro sancto occurrens, illiusq; vestigia secuta, obnixè rogauit, vti ne dedigna-

retur

retur ad se diuertere, quo ædes suæ ab eius ingressu aliquid sanctimoniæ traherent. Cessit precibus vir sanctus, atque domum fœminæ est ingressus, quæ statim occlusis ianuis torum corpus nudauit, eaque impudentissima & impurissima fecit, quæ pudor vetat proloqui, conata intemeratum virum inquinare. Sed ferreus ille, cacodæmonis ignitabulum strauit, repudiauit, innoxiusque euasit. Hic idem beatus Ioannes, cum accepisset de * Marciano quodam passim apud omnes fama celebrato, egregio athleta Christi, eius videndi desiderio miro flagrabat. Sed quia pedes vinculis ita strinxerat, vti è spelæo egredi non posset, etiamsi vltima cogeret necessitas, cum seipsum pedicis induisset, exuere eas aut rumperehaud potuit. Hic, ô qualis prouidentia numinis, omnia contemplãtis, prẽter opinionẽ succurrit: Angelus enim Marcianum è sua cella raptum, sublimemq; in Ioannis specum, sine sonitu delatum posuit, vbi congressi ambo, mutuumq; complexi, cœlesti inter se colloquio ad satietatem pasti sunt. Ioanne Deo iam ad extremum gratias agere instituente atque in hunc modum occipiente: Laus Deo sancto, qui me aspectu desideratissimi mihi Marciani est dignatus, repente Marciano per angelum ex oculis

* *Lege Mense 2. Nouemb.*

lis Ioannis subtracto, Ioannes miris agitari modis curarum cœpit, ancipiti cogitatione distractus, atque diu cum animo suo luctatus, tandem ruptis (diuinitus) vinculis viam ad S. Marcianum arripit, defixus admiratione miraculi, & magnitudine facti perculsus, existimabat rem totam nil nisi vanam oculorum illusionem & phantasma fuisse. Vt ergo egressus est, audit nominatim se à S. Marciano appellari, à quo cum beatus Ioannes didicisset modum, (quo ab angelo deductus esset ad eum,) elatus lætitia Ioannes, toto pectore gestiebat gaudio. Rursum ergo cum inter se consalutassent, Deoque gratias persoluissent, Ioannes in antrum suum reuersus est. Sed quid multis opus: hic Ioannes, & dæmones ex non paucis multos eiecit, morbosque immedicabiles curauit, aquas multis in locis precibus elicuit, imbres è cœlo sæpe votis impetrauit, aliaque id genus multa miracula per hunc Deus perpetrauit, qui tandem beatam sanctamque animam, bona prouectus ætate in pace exhalauit.

ANNOTATIONES.

IN Marciani vitâ, quæ secundo Nouembris legitur, nulla huius Ioannis mentio est. In Menologio non omittitur. Euagrius lib. 4. Eccles. hist. c. 7. hunc à miraculo celebrat in hæc verba. *Claruit eodem tempore cum Zosima Ioannes quidam in Laura Chu-*

Chuzubena paribus virtutibus insignis (is locus autem in extremitate vallis ad septemtrionalem via publica partem situs est, qua Hierosolymis venientes Hierichunta ducit.) qui monasticam & pauperem vitam exercens dictæ ciuitatis Cæsareæ, Episcopatum procurabat. Hic Ioannes Chuzubita cum vxorem supradicti Arcesilai altero oculo, fragmento quodam excusso, priuatam esse audisset? cursu ad illam contendit, visurus quid illi accidisset incommodi. Vt itaque pupillam oculi deficientem, oculumq; ipsum prorsus profluentem vidit, cuidam qui medicos assectabatur, præcipit, vt spongiam, adferret, & quod ex oculo promanabat cohiberet, sicuti posset, ac spongiam oculo admotam fasciolis alligaret, atq; id fiebat Arcesilao absente, erat enim cum Zosima in illius phrontisterio, quod Sindenorum ciuitati adiacet, à Cæsarea distante stadijs circiter quingentis. Cursores itaque ad Arcesilaum excurrunt, qui ista nunciarent. Sedebat autem ille apud Zosimam & cum eo sermocinabatur. Qui vbi quid accidisset, cognouit, admodum eiulauit, capillosq; diuulsos ac discerptos sursum in cœlum subuexit. Interroganti autem Zosimæ ploratus causam exposuit, simul gemitibus, ac densis lacrymis lamentans. Relicto eo Zosimas, ad interiora cellula cuiusdam sese recipit, ibiq; ad Deum, vt tales solent, interpellat. Post aliquanto progressus, placideq; subridens, ad Arcesilaum manu ex animo sublata dixit, abi cum gaudio, abi. gratia data est Chuzubitæ. Curata est vxor tua, ambos oculos habet. Nihil potuit illi casus iste adimere, sic volente Chuzubita: quod & vtroque iusto, in eadem re miraculose operante factum est. Hæc Euagrius de nostro Chuzubita. Arcesilaus porro vir nobilis & patricius prudensque omnia dignitatum ornamenta erat consecutus, vt eodem cap. Euagrius tradit. His miriora refert Sophroni-

us in prato spirituali cap. 14 & 15. à quo appellatur Ioannes Abbas presbyter, postea Cæsareæ Palestinæ Episcopus. vnde videtur colligi præcedens caput de sene Cuzibino ad hunc non pertinere.

III. Nonas Octob.

COSMÆ MONACHI TREMENDA VISIO.

5. Octob.

TErtio decimo anno Romani Imperatoris, qui admodum religiosè & piè rem Romanam administrabat, vir quispiam erat Constantinopoli regia vrbe, Alexandro, qui paulò ante imperitarat, à cubiculo, ipsique Imperatori ex officio perfamiliaris. Hic aula relicta monachum induit; mox cænobio ad Sangarim fluuiũ præfectus: post aliquot annorũ decursum, graui morbo correptus, diu admodum eo detinebatur. Ergo quinto iam mense, quo laborare cœperat, peracto, circa * tertiam diei horam, sibi aliquantulum restitutus, in lectulo resedit, vtrinq; à ministris inter bracchia gestatus. Sed dum sederet, subitò mente à sensibus auocata, à tertia ad nonam vsq; in eo mentis excessu permansit, oculis in laquearia defixis, ore submurmurans semiplena, inarticulata, & quæ omninò intelligi nõ possent, verba. Circa sextam, quasi medio raptûs tempore, paululum in se reuersus à circum-

* *Hæc est nona apud nos.*

stantibus ministris duo sicci panis crustula petijt: date, inquit, mihi duo panis frustilla, quæ à venerando sene accepi. Quod cum diceret, simul manus in sinus explorando panemque inquirendo demisit. Erant ex præsentibus, qui putarent, non esse cælestē aliquam illustrationem, sed mentis alienæ phantasmata: quare rogarunt vti ingens (si quod esset) mysterium visi aperiret: Dic pater (inquiunt) neque nobis, quod prodesse possit, inuide: vbi tot horis eras? quo spectaculo, quáue contemplatione mentem erectam habebas, quid ita labra motabas, quî cum sermonem miscebas? Ille verò afflictis illis, & lamentantibus, desinite, inquit, filioli, Domino fauente, vbi ad me penitus rediero, causam vobis totam exponam, postridiè ergo prima luce, cum tota fratrum sodalitas concurrisset, narrationen hunc in modum instituit. Vt omnia singulatim animo complectar & subijciam, patres, fratresque, atq; speciatim enarrem (quæ vidi) neque, mens, neque vox humana vlla ratione assequi possit. Sed quæ memoria teneo, quæq; explicare potero, illa declarabo. Quando in lectulo resedi, á geminis hinc inde fratribus suffultus, visus sum mihi videre, velut é siniſtro latere homuncionum ingentem turbam, quorum vultus describere non pos

sum,

sum; erant atri omnes, sed non perinde ex æquo omnes, sed alij alijs atriores. Nonulli retortas habebant frontes, alij sugillatos oculorum orbes sanguine suffusos, alij ferũ quid & trũculentum videbant; & vni quidé tumentia liuentiaque labra, alteri vnum; idque superius, vel inferius tantùm erat. Huiusmodi ergo monstra homuncionum ad lectum meum præsto fuerunt; quæ me ex manibus vestris abripere conabantur. Ac primum quidem, cum vos in orbem me cingeretis, non admodum trepidabam; neque impetum illorum raptumq; formidabã. cũ subito quasi desertus ab omnibus, ac nescio quomodo solus relictus, ab illis opprimor, qui me sanè audacissimé inuadẽtes alij antrorsum raptabant vinctũ, alij pone protrudebant, alius aliunde irreriebat, alij grauiter pulsabãt. Tandem deduxerunt me ad prærupta ingentia, quorum latitudo non excedebat iactum lapidis, altitudo verò (si despiceres) ad ima descendebat tartara. Ad hoc me præcipitium vi magna protraxerunt. In vnà porro rupis parte, via erat tam arcta, vti ne vnius quidem pedis totum caperet vestigium. Ad hæc angusta locorũ me per vim raptabant: vbi ego me dextrorsum inflectebam, ne in illud inexplicabile & immensum chaos & barathrum precipi-

tarem. In infimo autem hiatu, flumen torrentis instar, aquarum strepitu fremebat ac permeabat. Ergo cum non sine ingenti trepidatione anguſtias illas euasissemus, ad Orientem quasi tendebamus, vbi ad finem seu principium & fauces illius formidandi scopuli, & fluminis infra subiecti portam ingentem modicé apertam reperimus, ad quam excubabat gigantæa molevir, aspectu fædus & ater, truci & atroci vultu, luminibus distortis, ingentibus, cruore suffusis, flammarum faces eiaculantibus, naso fumū proflante, lingua totum cubitum extra os exerta: cui dextra manus quasi penitus exanimata & arida, altera veró instar columnæ crassescebat, nuda & in longum ꝓtensa, qua noxios prendens in chaos illud deuoluebat. Quicumq; in hoc loco damnationis sententiam tulêre, nil nisi væ, & heu, clamitabant & lamentabantur. Ad hoc ergo formidabile & immane monstrum viri, cum paulatim accederemus, illicó horrendum exclamat ad ductores meos, hic meus est familiaris, simulque manum ad me comprehendendum protendit. Ego veró ingenti pauore correptus totis artubus cohorrui, & prę timore, quantum potui meipsum in arctū contraxi; cum subito, velut é collegio Apostolorum, duo quidam veneranda canicie

viri

viri, sacro cultu spectabiles comparuerunt, quos, quantũ ex sacrarum imaginum aspectu poteram coniectare, sacrosanctos Andream & Ioannem Apostolos existimabam, quos ille teterrimus cum videret, statim repressus se subocculabat. Hi verò sancti duo, me familiariter acceptum deducebant, per angustas, anteà memoratas, portas, vrbemque interiorem peragrati, in campestrem locum egressi sumus, inquo amæna & florentia prata fuêre, quæ transgressi ad finem campi vallem virentem, & omni refertam amænitate offendimus, cuius elegantiam qua pulchritudinis, qua gratiæ explicare, aut assequi dicendo nemo admodum possit. In media valle venerandus blandusque cõsidebat senex, qui secum instar arenæ maris copiam habebat, & multitudinem puerorum. Hic ego tandem abiecto timore aliquantulum, ductores rogaui meos, ecquis ille senex, & quæ innumera illa turba pusionum foret? Hic, inquiunt est Abrahamus, & hic de quo audisti sinus Abrahami. Et subito admonitus ab illis, cum veneratione adoraui, & salutaui illum, quem dicebant Abrahamum, & mox cœptum iter prosecuti sumus. Vallem iam desinentem excipiebat silua oleis densa, vbi maior arborum, vti reor, erat copia, quam in cœlo

sidera: ad vnamquamq; arboré quasi quoddam tabernaculum, atque in singulis tabernaculis singuli lecti, in quibus singuli homines quiescebant. Ex quibus multos notã ad aulam seu palatium reuertentes, multos in vrbem, quosdam verò in agris degentes, & nonnullos præterea ex hoc nostro cænobio. Omnes verò quos noueram, iam defuncti erant. Cum autem cogitarem quærere, quæ illa olearum esset silua nobilis, quæque illa omnia, in illa visa? anteuertunt interrogationé senes. Quid, inquiunt, solicitè cogitas, quod sit hoc peramænũ nemus, queq; in illo spectas? Hæ sunt de quibus audis, multæ illæ mansiones (apud te Christe seruator) pro cuiusq; promeritis & virtute distributæ. Post nemus illud vrbs erat, cuius pulchritudo, varietas, & mœniũ compositissima structura inexplicabilis videtur. Duodenis versibus velut cingulis, tota mœnia duodecim lapidibus preciosis distincta coronabantur. Singuli ordines seu Zonę ex singulis lapidibus constabant, ac singulæ lineæ, per se totũ orbé conficiebant. Quid de murorũ planicie, & rectitudine æqualitateq; memorabo, quid singularem in omnibus symmetriam, aptamque totius vrbis substructionem prædicabo? In muris portę ex auro argentoque affabrè factæ erant. Intra portas pauimen

tum

tum aureum aperiebatur, quod mox ædes aureæ excipiebant, in quibus aureæ sedes, aurei abaci seu mensæ. Tota p̃terea vrbs lumine inenarrabli illustrata; plena odoribus, plena gaudijs. Vrbem cum totam obiremus, non hominem, non iumentum, non alitem, non aliud, quod in terris aëréue mouetur, vidimus. In summa autem vrbe hac, regia visenda, mirandaq; extructa erat, ad ingressum regiæ, thalamus, cuius ambitus lapidis continebat iacti spatium. In extremo thalamo, seu conclaui, mensa ex vario marmore Romano, ad extremum vsque protendebatur, tantum à terra leuata, vt accumbere homo commodè posset, à discũbentibus vndique cincta. Tota porro domus purissimo lumine collustrata, odorumque fragrantia, & omni elegantia, gratiaque redundabat. Ad finem thalami testudo erat permodica, in extrema cochlea solis amabile lumen admissum mensam respiciebat, ex quo gemini ephebi sole circumfusi prospectabant, vultu fulguris instar rutilantes, omniq́ue splendore ad gratiam amicti & ornati, qui ductoribus meis senioribus prę-cipiebant, vti me quoque mensæ admouerent, locum simul designantes, ad quem me seniores deduxerunt: ipsi verò senes in certa aulæ parte considebant. Ephebi verò

qui eunuchos referebant, ad interiorem sole collucentem sunt ingressi domum. Qui dum morarentur, ego interim curiosé mensam illam oculis totam obibam, multosque illic familiares meos cognoui, & nonnullos ciues & ex nostro cœnobio religiosos non nullos etiã ad regiam reuertẽtes. Post multas igitur horas, iuuenes illi rursum prospectantes senes illos vocabant: & reducite, inquiunt, hunc ad suos, quos ipse Deo genuit, filios, vehementer enim illius causa luctu affliguntur. Nam imperator, qui vocatur, vult illum in suo cœnobio viuere. In huius autem aliâ viâ reducti, locum, alium monachum, Athanasium nomine illum ex Traiani monasterio vobiscum adducite. Seniores igitur me extemplò & ex conclaui, & vrbe illa per compendium aliâ viâ educunt, vbi septenos lacus omni genere pœnarum refertos transiuimus, quorum hic densa nocte cœcus, alius igne, alius graueoléti nebula, alius sordibus vermium, alius item alio genere tormentorum ac pœnarum plenus erat. Generatim verò omnes infinitâ hominum turbâ obsidebantur miserandũ in modum eiulantium. Hos vbi superauimus, aliumque per exiguum quendam locũ rursum ad illum, quem dicebant esse Abrahamum senem peruenimus, quẽ proximum

iterum

iterum salutaui, qui mihi vini laticem dulciorem melle propinauit, triaque panis aridi crustula impertiuit, quorum vnum, vt videbar, comedi, vinum verò totũ exhausi, reliqua duo frusta, in sinum deposui, quæ à vobis heri repetiui. Tum paulò post ad eum locum redijmus, vbi gigas ille prodigiosus, tenebricosusque erat, qui me viso horrendum frendens dentibus infremuit, iraque & dolore ardens, modò, inquit, euasisti, sed posthac omnis in te tuosque tentamenta machinabor. Hæc ergo fratres, mihi visa exposui. Quo vero pacto mihi fuerim restitutus, penitus ignoro. Hac visione enarrata, è vestigio ad Traiani cœnobium quidam missus, Athanasium monachũ iam excessisse è vita videt, & in lectulo ex cella efferri. Quærenti, quando obijsset, responderunt illum pridie circa nonam defunctum; quando nempe Cosmas ad se ab illo raptu redierat, Nec multò post ambo monasteria, veluti sibi vicina in vnum coaluerunt, quæ hodieque ab vno præfecto administrantur. Triginta annos à visione Cosmas superuixit, quo superstite in cœlesti vita pietas, coniunctis & optimè compositis duobus cœnobijs non exigua incrementa cepit, cùm quod religiosi cum magna, Deoque probata vitæ sanctimonia crescerent, tum quod añui cen-

sus ad victum locumque vnde vnde augerentur, omnia ad Dei, hominum semper amantis laudem & gloriam, Amen.

ANNOTATIONES.

EST huius Cosmæ in Menologio Græcorum hoc eodem die mentio. Similia porro visa multa apud D. Gregorium in 4. Dialogo: Bedam lib. 5. historiæ Angl. cap. 13. 14. 15. Carthusianũ in colloquio de Iudicio animarũ, & in Brigittæ visionibus leguntur. Refert & formidabilem raptum in Pelignis, cuiusdam qui è carcere ad inferos ductus, & ex inferis in carcerem reductus, Alexander ab Alexandris lib. 6. Genial. cap. 21. Extat & libellus apud Bredenbachium lib. 8. c. 39. fratrum S. Vincentij Metensis de admirabili visione Yguentini quondam Canonici. Infra plura ex Menæis.

Nec ignoramus hæreticos hæc omnia, quamuis testata, ad deum Fabulinum ablegare, nec passim ab ijs hæc credi, nisi in rem præsentem veniant, & ad ipsa inferorum præsepia descendant, vnde negant quemquam pedem retulisse.

9. Octobr, *Metaphr.* 27. Febru. *apud Surium.* *Martyrolog. Rom.* 9. Octobr. *Menolog. eod. die.*

SS. ANDRONICVS ET ATHANASIA CONIVGES. & ANACHORETAE.

DIuus hic Andronicus Antiochenus illustri patria, argentariam exercebat, admodum pius, & optimis virtutum studiis abundé deditus, & á fortunis copiosus,

VXO-

vxorẽ duxit Athanasiam fæminam religiosam & Deo inprimis addictam. Hi comuni propensaque ad bonitatem voluntate, opes suas in tres partiti sortes, vnam egentibus liberaliter elargiti, alteram apud tenuiores, cum egerent, sine vsura occuparunt: tertiã ad usum vitæ & artificij adhibuerunt. Liberos geminos susceperunt, marem & fæminã. Quibus procreatis, à tori vsu de cætero, consensu abstinuerunt, seseque totos temperantiæ, votis, ac precibus, egentium que & laborantium curę manciparunt, in quo vitæ statu ad annum duodecimum perseuerauerunt, cum ecce tibi, liberi duodecennes cum maximè parentes oblectare solent, ambo, vno die, è vita tolluntur. & Andronicus quidem nihil indignum viro facitans, vnam illam beatam cum beato Iobo vocem misit: *Nudus egressus sum*; & quæ sequuntur; At coniunx Athanasia, nullam dolori leniendo admittebat medicinam aut consolationem. Quare sepultis in æde Iuliani martyris, liberis, inde noluit discedere, sed apud liberos, inquit, & ipsa emori & tumulari volo. S. quidem Andronicum, Patriarcha, doloris ac desiderij mitigandi causa, ad patriarchium inuitarat: sed vxor, vt templo exiret, induci nullo modo potuit, vbi se luctu assiduo conficiebat. Verum intempesta nocte

Iulia-

Iulianus martyr se illi in Monachi veste spectandum offert,& quid,inquit,est mulier,cur hosce quietem capere non sinis? Respondet hæc: Domine mi,ne quæso in seruam tuam commouearis, graui quippe dolore premor. Nam cum geminam solũ prolem haberem, hodie vtramque simul extuli. Et Martyr; nihil est,inquit,quod horum causâ plangas. Etenim quemadmodũ natura humana cibum flagitat,nec fieri potest,vt is ei negetur,ita paruuli desiderant ab illa die,bona æterna,cum dicunt: Iuste Iudex pro mortalibus bonis, quibus priuati sumus,ne priua nos cęlestibus. Quæ,mulier cum audisset,animo ad æquitatem reuocato,imò penitus ad gaudium translato:si viuunt,inquit liberi mei apud superos;quid ploro?versaq; patrẽ, quẽ audierat loquẽtem requirebat, & cum totum obijsset templũ non reperit. tum ad ianitorem: vbi est,inquit, monachus ille huc modo ingressus? cui ianitor: fores omnes,occlusas ipsa vides & quęris vbi sit monachus ingressus? intellexitque illi speciem cœlestem obiectam. Ergo terrore correpta mulier se domum contulit, viroque exposuit, quæ viderat, petijtque vti se in cœnobium abire permitteret(vbi religionem profiteretur) Andronicus verò libenter hanc eius petitionem admi-

admisit iam diu enim hoc idem & ipse desiderabat, bonisque maximam partẽ in pauperes distributis, seruisque manu missis, quæ supererant socero commisit, cui præcepit, vti peregrinis hospitia, valetudinaria ægris ædificaret. Ipse modico secũ accepto viatico cum vxore noctu solus vrbem reliquit. Vxor verò Athanasia procul iam respectans domum suam; cœlumque suspiciens: Deus, inquit, qui Abrahamo & Saræ dixisti; Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi; tu dirige nos in timore tuo: Ecce enim domum nostram propter nomen tuũ apertam reliquimus, tu ne claude nobis ianuam regni tui cœlestis, itàque plorantes ambo abierunt: simulque ad loca sancta, Hierosolymam, venerabundi adierunt, vbi cum multis religiosis viris in colloquium venerunt. Reuersique inde ad Danielem Abbatem se contulerunt, ab eoque petiuerunt, vt Athanasiam in cœnobium fæminarũ religiosarum reciperet, qui misit illam in Tabenesiotarum monasterium. Andronicus autem cœlestem monachorum habitũ à sene indutus apud Danielem duodecim totos annos transegit. Elapso porro duodecennio rogauit Danielem Abbatem vti sibi rursus loca sancta Hierosolymis obeundi

faceret

faceret pōteſtatem,qui benè ei precatus annuit precanti. Dum ergo per Aegyptum iter faceret,ſub arbore reſedit,vt ſe paulum ab æſtu recrearet:Cum ecce tibi diuina prouidentia vxor illius,& ipſa loca ſancta aditura virili tecta veſte, viro ſuo Andronico occurrit, qui dum inter ſe conſalutarent,illa quidē virum mox agnouit,ſed ille vxorem ꝙ forma illius & pulchritudo, præ ſtudio religioſæ exercitationis concidiſſet, & in æthiopiſſam penitus degeneraſſet,haud cognouit.Alloquitur ergo illa hunc. Quo tendis Domine pater? Hieroſolymā, inquit ille ad loca ſancta, & illa: eadē mihi mens illuc proficiſcendi. Tum ille:ſi placet,vna iter faciamus,placet,inquit,illa,ſi ita iubes,ea tamen lege,vti in itinere perinde ſilentium obſeruemus,ac ſi ego penitus abeſſē, & Andronicus,vt iubes,& Athanaſia rurſū: Noñe reuera Danielis Abbatis es diſcipulus? ſanè inquit: noñe Andronicus appellaris; etiam inquit; preces (inquit Athanaſia) Abbatis ſenis ſint noſtrę peregrinationis comites. Amen inquit Andronicus. Ita ambo vna profecti loca ſancta adorarunt, ſilentesque Alexandriā reuerſi ſunt. Vbi Athanaſius (ſic enim Athanaſia nomē inflexerat)vis,inquit, Andronice ſimul in eadē cellula habitemus? Vt placet inquit Andronicus:ſed prius Dani-

nielis vota expetam. Abi, inquit, illa; Ego te hic expectabo ad ∴ Octauum decimum. Quod si tamen mecum dẽgere volueris cũ eo silentio, quo vna peregrinati sumus, reuertere, sin minus: nihil est quod redeas. Abijt Andronicus & Danieli Abbati rem exposuit: qui, abi, inquit, & silentium obserua, atque cum fratre (Athanasio) mane, est enim, vt decet, religiosus. Ergo vbi reuertit Andronicus, vna habitarunt. Athanasius & Andronicus coniuges alteros rursum duodecim annos, nec vnquam Andronicus Athanasiam vxorem suam esse cognouit. Frequenter igitur Abbas reuisebat ad illos, piosque apud eos, qui ad illorum salutem pertinebant, sermones instituebat. Quadam vice cum senex esset reuersus, atque cum illis, de more, de rebus piis tractasset, atque iam domum repetereret, vestigia secutus Danielis Andronicus, eumque assecutus, pater Athanasius, inquit, ad Dominum proficiscitur: Reuersus Daniel senex offendit illum febrientem, cœpitque lacrymare Athanasius, cui Daniel Abbas: Quid? tu cum occursurus Domino abeas, pro eo quod triumphare gaudio debeas, ploras? Cui Athanasius: Non ploro, nisi P. Andronici causa. Sed quæso præsta mihi hoc charitatis officium? vbi sepultus fuero, reperi-

∴. *Cœnobiũ nomen est.*

ea

es codicillum ad caput (lectuli mei) lege illum, & lectum patri Andronico legendũ exhibe. Votis igitur ac precibus rite peractis, cum sacram synaxin sumsisset, obdormiuit in Domino. Sed cum ad funus curandum venissent, ecce tibi Athanasius * mulier deprehenditur: quod mox fama in Lauram attulit. Abbas totam mox Scetanam solitudinem per nuncios euocat, etiam eos qui intimam siluam habitabant, omniaq; cœnobia Lauræ Alexandriam properarunt, vnaque tota ciuitas confluxit; venerunt & Siciotæ * candidati pro ritu Sciciotarum. Efferuntur ergo sacræ nobilesque reliquiæ cum festis frondibus, ac palmis solennique laude numinis, quod tantas fæminæ continentiæ, patientiæque vires indulserit. Mansit Abbas ibidem vti diem * septimum Athanasiæ celebraret, dein reuersurus secum volebat deducere Andronicum, qui recusauit: Cum dominâ, inquit, meâ hic moriar. Quem cum postea aliquando reuiseret Abbas, atque ab illo domum abiret, occurrit illi frater: qui Andronicus, inquit, laborat febri, qui rursum Scetanos accersiit patres: Adeste, inquit, Nam Andronicus pater fratrem sequitur Athanasium; aduentantes adhuc spirantem inuenerunt, qui cũ omnib. benè precatus esset, quieuit in Domino. Extitit

** an linteati vt hodie sacerdotes. Græcè est λευκοφοροῦντες albati seu albas ferẽtes*

** Ita apud Climachũ celebratur Mennæ sãctissimi patris tertius, ante annos mille ducentos viginti & amplius. p̃cipua .n. tertii, septimi & tricesimi diei ratio habebatur semper, vt ex Tertulliano & aliis discitur.*

titit verò & contentio inter patres Octodecimanos, & Scitiotas, vtrisque secum habere sacras Andronici reliquias, annitentibus, ægréque tandem Cœnobiarcha illos adduxit, vti permitterēt Andronicum cum commilite Athanasia (& consorte) sua sepeliri. Sic ergo pacati vtrique, Deum omnium cōditorem laudibus celebrarunt.

ANNOTATIONES.

ILlustris planè historia, nec scio an par illi in omi reperiatur antiquitate. Quod de Daniele abbate refertur, veluti magistro Andronici & Athanasiæ, haud scio, an in illum Danielem styliten conueniat (cui dies vndecimus Decembris sacer) a S. Damasceno, Nicephoro, Cedreno, Cyro ex consule, Metaphraste, & alijs celebratum. Diuersum hunc ab illo sentio. Et fortè est ille omnium etiam literis decantatus, qui apud Cassianum in collationibus disputat.

Huius Athanasiæ supra meminimus in vita S. Apollinaris.

Laudatur alius Andronicus cum Drusiana coniuge in actis S. Ioannis Apostoli, quæ Abdias composuisse creditur, & extant in historia Christiana Patrum. Sed operæ non fuit illa huc transcribere.

ANONYMVS MONACHVS ET MARTYR memorabilis.

MOnachus quispiam in Scetana solitu-

dine aliquandiu Spiritui ſancto parebat; hic inuidia dæmonis, virtutis inimici ab obedientia defectus, absque cauſâ verâ iuſtáque ſe ferulæ ſenioris ſubduxit; & pœnam epitimij, ſibi ob contumaciam irrogatam contemſit. Alexandriam verò cum veniſſet, à magiſtratu comprehenſus, & veſte religioſa exutus, cogebatur Dijs ſacrificare: recuſantem boijs cecidit primum grauiter, deinde cum nullâ vi adduci poſſet, vt immolaret, capite puniri iuſſit, quem apparitores arreptũ capite multarunt, corpore extra vrbem canibus obiecto. Sed hoc Chriſti amantes quidam Chriſtiani poſtera nocte vnguentis delibutum ſindoneq; inuolutum in ſarcophago repoſnerunt, & velut Martyrem in Sacrario templi collocarunt. Dum ergo ſacroſanctum perageretur ſacrificij myſterium, * ſacro præcone proclamante illud ſolenne, *Catechumeni egrediantur, Catechumeni procedant*: Omnibus ſpectantibus martyris tumba, ſua ſponte, ſine cuiusquam manu ſublata, * ſeceſſit in atrium, vbi, donec res diuina abſolueretur, permanſit, dein rurſum in locum ſuum, vbi collocata fuerat, redijt. Quo facto attoniti fuêre omnes, qui rem ſpectabant. Quod cum ex ſapientioribus quidam intellexiſſet, rogauit Deum huius facti cauſam quam & mox accepit. Nam Angelus

*ἱερόκυρηξ Diaconus.

* Vide notas.

εὐδιάκριτος.

Angelus assistens, quid, inquit, ad illum, super hoc facto percelleris? Nonne acceperunt Apostoli à Deo potestatem soluendi & ligandi, & quicumque Apostolos discipuli sunt secuti? Hic ergo frater, qui Christi causa sanguinem suum profudit, & tempore sacrificij in sacrario seu altari quiescere non sinitur, ab angelo vsque ad atrium exactus, commilitoni tuo, cuius erat in religione discipulus non obsecutus, anathemati merito ab illo subiectus fuerat. Hinc vinctus pellitur, vt qui non solutus ab eo discesserit. Vt martyr ergo laureolam accepit, vt anathemati obnoxius, non permittitur tempore sacrificij intra sacrarium quiescere, quoad illum, qui ligauit, soluat. Hoc cum religiosus presbyter intellexisset, scipione accepto profectus est ad Anachoretam, qui audita à presbytero tota facti causa, cum eo descendit Alexandriam, ingressique templum vbi martyris corpus depositum erat, tumbam aperuerunt, vinculoque anathematis expedierunt, atque inde expositum inter sanctos celebrandum collocarunt. Hinc sacro Missæ celebrato mysterio, immotus perstitit martyr in altari, hodieque persistit.

ANNOTATIONES.

AB anathematis nexu mortuos expeditos etiam in aliorum Diuorum historijs reperimus.

Ac primum similitudinem quandam eius rei le-
lib.14.c43 gimus in D. Chrysostomi gestis, apud Nicephorū de Eudoxia Arcadij Imperatoris coniuge Augusta, cuius impulsu præter ius fas, D. Chrysostomus in exilium Comanas erat deportatus, ibidemque extinctus. Etenim populi assiduis flagitationibus, reductis ingenti miraculo reliquijs, Imperator Theodosius iunior supplex Diuo factus, pro parentibus suis deprecabatur. Nam tumba matris totos quinque supra triginta annos assiduo motu tremebat. Rem ita narrat Nicephorus. *Ibi Imperator sacro tumulo clamyde tecto, & fronte, atque oculis urnæ impositis, communem supplex precationem pro parentibus fecit. (dudū enim illi mortui fuerant) in Pupillari ætate eum tenerum adhuc relinquentes. Seorsum verò pro matre quoque precatus est, vt tumuli eius motus atque strepitus consisteret: triginta enim & quinque annos tam is quatiebatur, quo tempore scilicet, & ipsa Ecclesiam concutiebat. Nec ille id non exorauit: Confestim namque urna eius constitit.* Hæc Nicephorus: ex quo idem Baronius annali 5. A. C. 438. Clarius adhuc memoratur à Diuo Gregorio Magno, secundo Dialogo de puero post sepulturam a terra proiecto. *Quadam* inquit *die, dum quidam eius* (Benedicti) *puerulus monachus parentes suos, vltra quam deberet, diligeret, atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de monasterio exijsset. eod. die mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumq; esset sepultus, die altero proiectum foras corpus eius repertum est, q; rursum tradere sepulturæ curauerunt. Sed sequenti die iterum proiectum exterius, atque inhumatum, sicut prius inuenerunt. Tunc concitè ad Benedicti patris vestigia currentes cum magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei, manu sua protinus communionem dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque*

hoc

hoc dominicum corpus super pectus eius, cum magna reuerentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltra proiecit. Est apud eundem in S. Benedicti gestis de religiosis fœminis procatioris linguæ vitio laborantibus, anathemate percussis, & post mortem absolutis. lib. 2. c. 28. Ex manuscripto quoque Codice inferioris Althæ, de S. Gothardo Hildesheimensi Episcopo decerpsi, quod huc facit. Contumaces quosdam & perduelles habebat inter subiectos pontifex, quos sæpe admonitos tandem anathemate ictos sacrificij tempore templo excedere iussit, qui tamen contemto præsulis sui imperio restitabant, cum ecce tibi ex dudum sepultis, quos anathematis vincula adhuc retinebant, de tumbis surgunt, templumque egrediuntur, quos pudore suffusi, rebelles quoque viui sequuntur. Gothardus acri adhortatione ad contumaces, quibus ipsos mortuos obsequentiores haberet, adhibita defunctos censurâ soluit, qui ceruicibus pontifici suo inclinatis, ad suum quisque tumulum rediere. Paulò ante nostrum sæculum, horrificum quid in hoc genere accidisse narrat Maffeus noster Indicar. histor. lib. 5 his verbis: *Per eosdem dies, vel ex intemperie cœli, vel ex insalubrium ciborum succo atrox morbus naualem turbam inuasit. Vulgo inter lusum aut quotidiana ministeria repente expirabant. In iis miles vnus in mare proiectus, ingentem terrorem omnibus attulit: noctu quippe, infra sentinam, pulsus frequentes exaudiri capti, quem ad strepitum cum arrepta scapha vigiles descendissent; implexũ carinæ sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offendunt. scilicet cunctis pilus inhorruit. Vbi ex pauore collegere sese, res ad Nauarchum delata: nec dubium fuit quin cadauer translatum in littus humo contegerent, quo facto, postridie super ipsum*

sepulchrum, rursus in humatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, cum apud se causam exquirerent ; Franciscus denique incertum ex qua familia monachus, qui concionatoris munere fungebatur ; sagaci coniectura suspicatus est hominem aliquo interdicti, vel anathematis vinculo constrictum è vita excessisse. Itaque in terram egressus, sanctissimi viri Benedicti Abbatis exemplo, è pontificia formula conceptis verbis animum demortui rite expiauit, eique veniam à Deo precatus est. Mirum dictu, ab eo mysterio reddita mortuo pax; & vaga ossa tandem suo tumulo quieuere. * Apparuit uis illisi anathematis non in viuis tantum & mortuis, sed animatibus quoq; & aliis naturis rerum.

* *Vincētius Mainardus in vita S. Antonini. Brauonius in vita VVolstani Episcopi. Gesta Ord. Cister. d. 3. exempl. 51. 52. 53.*

Secessit in atrium) ναρθηξ est in Græco, q. locum signat, vbi dum sacrificium solenne perageretur, stabant audientes, catechumeni, competentes, hæretici, energumeni. Franciscus Turrianus ad illa verba Apostolic. Constitutionum lib. 8. c. 12. (*Nemo Catechumenorum, nemo, audientiū, nemo infidelium, neque, hæreticorum adsit*) *Iubet*, inquit, *Apostolica Constitutio, vt hoc edicat Diaconus, ante consecrationem, statim vt sacerdos manus lauit, cum rem diuinam facit, &c.* vbi multa super his verbis disputat Turrianus. Cæterum Missæ sacrificium in 4. diuiditur partes. Prima est ab initio, vsque ad offertorium, quæ dici solet Missa Catechumenorum; nam post offertorium à Diacono iubebantur * exire. 2. Ab offertorio vsq; ad Consecrationem, quæ pars Græcis ἀναφορὰ Latinis Canon minor appellatur. 3. à Consecratione vsque ad Communionem, quæ dicitur Canon maior. 4. à Communione vsque ad finem.

* *Fores quoque claudebantur cum exissent, S. Maximus Mystag. c. 15.* Ἡδὲ μετὰ τὴν ἀνάγνωσιν τῆς ἁγίας εὐαγγελίου, καὶ τὴν ἐκβολὴν τῶν κατηχουμένων γινομένη

γινομένη κλεῖσις τῶν θυρῶν τῆς ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας, τήν τε τῶν ὑλικῶν δηλοῖ παροδον, καὶ τὴν γενησομένην μετὰ τὸν φοβερὸν ἐκεῖνον ἀφορισμὸν καὶ τὴν φοβερωτέραν ψῆφον εἰς τὸν νοητὸν κόσμον, ἤτοι τὸν νυμφῶνα τοῦ χριστοῦ τῶν ἀξίων εἴσοδον, καὶ τὴν ἐνταῖς αἰσθήσεσι, τῆς κατὰ τὴν ἀπάτην ἐνεργείας τελείαν ἀποβολήν.

Epitimij pœna; cuius mẽtio fit in actis Martyris, est pœna Ecclsiastica, quã præsules & præfecti sacrorum, & Cænobiarchæ præscribebant subiectis, cum aliquid peccassent. In Concilio Octauo Oecumenico, quod ante biennium vulgauimus, Act. 2. de Epitimijs hæc scribuntur. *Tum patriarcha dixit: Præscripta Epitimiorum pœna cunctis lapsis audientibus legatur. Acceptã ergo, Stephanus Notarius legit. Qui carnibus vescuntur, pœna esto, nec carnibus, caseo, ouo vescãtur. Qui aliàs à carnibus abstinent, abstineant ab ouo, caseo, pisce, feria quarta & sexta: oleraq́; & legumina comedant cum modico oleo & vino. Ingenua procumbant quotidie quinquagies, & illud (Domine ignosce mihi) inclament centies, recitentq́; psalmos 6. 37. 50. Hæc obseruari volo à nonis Octobribus vsque ad natalem Domini.* 1. 23 Octob.

1. S. MACARIVS ROMANVS,

TRes quidam religiosi senes, Sergius, Hyginus & Theophylus è S. Asclepij, seu Aesculapij cœnobio, quod in Mesopotamia Syriæ visitur, conspirarunt in re pia, pio fine, vti totam viciniam seu solitudinem obirent. Ergo iter auspicati, alia ex alijs

mala experti sunt, modo ab hominibus, modo à feris illata. Nonnunquam abagrestium herbarum pastu retardati, donec haud paucorum itinere dierum confecto incidérent in locum hominis vestigia referentem, quæ insistentes ad spelæum peruenerunt, in quo videbatur homo degere, eo quod ornatior & cultior appareret: quod ingressi patienter expectabant, dum vidérét incolam illius antri. Paulò post hauriunt odores mirè gratos, spectantq; speciem aliquam hominis, sua quasi cæsarie vestiti. Hic verò erat venerandus ille Dei seruus Macarius Romanus, qui cum ad suum specum accederet, eminus adhuc, sensit hospites adesse, humiq́ue fusus, precabundus magna voce clamitans dicit. Si â numine missi adestis signum date: si autem à tartaro emersi, procul este à me vili peccatore. Respondent peregrini: Benè precare nobis serue Dei, Christum colimus Christiani, Dæmoni renunciauimus. Tum senex consurgens ad illos adit, cuius capillamentum niues æmulabatur, corpus testudinis tergum referebat, supercilia oculorum præ senio fluentia & remissa, vngues à manibus pedibusq; * amplius dodrante extabant, barbitium ad pedes vsque promittebatur. Cœpit dein rogare: vnde estis filioli, quid huc aduenistis

* Ita Græcè: καὶ οἱ ὄνυχες τῶν χειρῶν, καὶ τῶν ποδῶν αὐτοῦ πλεῖον εἶχον τῆς σπιθαμῆς,

nistis? Qui mox illi animos totos aperuerunt. Tum ille: Filioli, non est mortalium vllus, qui Dei possit assequi potentiam cogitando. Ego postremissimus hoc cœpi velle tentare, cum sub noctem mihi visus quispiam qui diceret. Noli tentare conditorem tuum, qui neque hunc locum transire potes. Quid ita, inquam, Domine? & ille: A viginti millibus hinc distat murus* ferreus, & intra illum aheneus, intra quem sunt non nulli à pedibus vmbilico tenus humanâ specie, * pectore leones, capite* dracones, quorum manus serpentinæ Crystallum referunt, flammatas romphæas loci illius custodiendi causa gerentes, ne quisquam illuc penetrare possit. Quæ cum illi audirent ingenti horrore perfusi trepidabant, & iam vesper claudebat Olympum: rursum ille: Filioli, inquit, recedite paululum introrsum, sunt mihi duo filioli, qui ad vesperam huc diuertunt, ne insolentia hospitum offensi, vobis aliquid nocumenti adferant, cum ecce gemini leones è solitudine decurrentes, ad pedes illius magno rugitu procubuerunt. Hospites verò rursum ex terrore prociderunt. Sed imposita leonibus manu senex: filioli, inquit, Ex inquilinis terrę, ad me quidam homines aduenêre: quos à vobis lædi nolim. Tum statim ad

φ κατ' ἄνξησιν dictũ puto.

paradisi custodia visa 2.

* Vide notas. 3.

peregrinos senex: adeste, inquit, fratres, vespertinas dicamus preces, qui vt trepidi consurrexerunt, accurrerunt ad eos feræ, pedesq; lambere cœpere. Postero die sanctum alloquuntur peregrini: Expone nobis venerande pater, quo pacto ad hunc locum peruueneris? qui, Ioannis, inquit, cuiusdam Romani ex ordine Senatorio filius eram, cui parentes cum vxorem inuito despondissent, nuptiæque essent celebratæ, & iam ambos in conclaue ductos vellent occludere, ego inter tripudiantem tumultuantemque & iocantem turbam clam silentio elapsus, in cuiusdam viduæ ædicula, septem totos dies abditus illis plorantibus, & me quæritantibus latui. Concubia dein nocte in viam progressus reperi senẽ quendam, quem collocurus: quo, inquam, tendis pater: & senex, eò prorsus quo tu statuisti, proficiscor.

Ergo hunc secutus, post triennium tandem huc cum illo veni. Sed paucis ante diebus quam huc venirem, cum quiescceremus, simul ac ego sommo excitus eram, ille ex oculis se meis subduxit. Ego tum dolere & lamentari: cum ille rursus apparet: Ego, inquit, sum Raphael Archangelus: ne expauescas, sed da gloriam Deo. Iam enim tenebricosa loca emersus in claram lucem

euasisti

euaſiſti, ſimulque his dictis euanuit ex oculis. Ego verò cœptum iter proſecutus, quinto demum die huc perueni, reperique in hoc ſpelæo exanimem leænam, duosque iuxta catulos rugientes ſuper illa & eiulantes, quod vnde ſugerent, non haberent, horum ego curam ſuſcepi, & glandibus velut gnatos meos paui, leænam verò effoſsâ terrâ condidi. ἀπὸ δρυὸς.

Poſt biennium deinde, egreſſus ex antro cum catulis hiſce circa * ſeptimam, reſedi, cum ecce tibi ſudarium video in terra proiectum, tenuiſſimum ſanè velut nebulam, vehementèrque attonitus eo ſpectaculo, vnde inquam, hoc? Poſtridie rurſum, calceolos reperio ſericos, & vtroq; perculſus, circumſpectansq; puellam video ſaxo reſidentem, cultu aureo, ſplendidoq; exornatam, & forma præſtantem, cui ego: vnde, tu huc delata? quid ſibi vult Acheronticus hic veſtium ornatus? Illa verò lacrymabunda: Ego, inquit, infelix Romani cuiuſdam ſenatoris filia ſum: quam nubere parentes recuſantem coëgerunt. Sed elapſa ego ex illo matrimonij vinculo, nemine horum fugæ conſcio, per montes & ſpeluncas oberro. Sed & nunc deſertis in locis hic verſor, ignara quo mihi ſit eundum. Quare ne auerſare ſeruulam tuam, quando & ego Dei ſum

* *Prima pomeridiana apud nos.*

En artes peſſimi artificis.

sum opificium. Sed hæc aliud non erat, quam tentatio, qua (vererator) me dolo per colloquium petebat. Quod ego tum non sensi. Quo inquam ad illam, cogitas? nam vt mecum hic degas, numquam ego permittam. Ad hanc, inquit illa, solitudinem, vt hic habitarem, veni. Deduxi ergo illam in antrum meum, & dactylos illi, quibus & ego vescebar, porrexi comedendos. Sed illa plorando imbres lacrymarum profundebat, cœpíque animo commoueri. Nocte verò iam appetente, precibus vespertinis rite persolutis, ad quietem capiendam me composui; humoque membra reclinaui: cum cœpit me Satanas turbare. Et qui antea nunquam vllam corporis voluptatem desideraram, nullamq; impuritatis labem contraxeram, tum cœpi amare fœminam, volebamque iam ad illam accedere, cum illa repente penitus euanescit. Et quia me in conspectu Dei peccasse noueram; clamaui: Peccaui coram te Domine, miserere mei. Et quia in me descendi accuratius, deprehendi grande esse peccatum meum, etenim nec leunculi ad me toros decem dies reuertebantur, quemadmodum antea consueuerant. Et decreui ab eo loco recedere, ne denuò per insidias circumuenirer, & penitus proiicerer à facie Dei. Surrexi

rexi ergo & ſpelæum egreſſus, duos in ſolitudine dies oberrabam : cum aſtitit Angelus Domini,&, quo, inquit, Macariabis ? & ego : A facie, inquam, peccatorum meorum fugio. & Angelus : ſiccine ? vnicam tentatiunculam vincere non potuiſti ? redi in cellulam tuam :& ego : quis es Domine ? Raphael,inquam, ego ſum ductor ille tuus, &cum dicto diſparuit.Reuerſus ergo in locũ meum, genua mea flexi ad Dominum, totoſque quadraginta dies ac noctes ita ieiunus peregi. Dein tandem ſurgens vidi totũ antrum, per omnes quatuor angulos cœleſti lumine perfuſum, virumque purpura, diademate, auro gemmisque nobiliſſimis ornatum, qui carmen inuſitatum cecinit, cuius vox totam hominum turbam referebat, cantuque abſoluto, obſtupeſcenda locum odoris diuini fragrantia compleuit, indeque mox ab oculis ſublatus euanuit. Redeunte vero illo in cœlum, tonitrua, fulgetraque, & terræ tremores, ſecuti tanti, vt ego filioli attronitus ſeptem ipſos dies vſum omnem linguæ amiſerim. Eram tum natus annos octo ſupra quadraginta. En filioli, audiſtis iſthæc: ſi poteſtis hic apud nos durare, durate : ſin minus ; Dominus ductor veſter eſto, dimiſitque eos : valete, inquit, filioli mei ſancti, & Deum pro me appre-

camini

camini. Et custodierunt illos leones comites toto triduo, qui vestigia illorum lambentes, ad senem sunt reuersi. Monachi verò tres cum aliquot dies per iter ad homines reuersuri confeciſſent, ad flumen peruenerunt, vbi dum somno paululum sopirentur, à cœlitibus rapti Hierosolymam sunt translati, vbi experrecti cum intellexiſſent, quantum itineris spacium velut persomnium transiliſſent, laudibus Deum celebrarunt, simulque omnia sacra loca venerati ad cœnobium suum reuersi, quæ experti essent, & vidiſſent, speciatimq; de S. Macario exposuerunt.

ANNOTATIONES.

1. Lib. 4. c. 28. ROmanum Anachoretam celebrat Theodoretus in Ecclesiastica historia, & in patrũ sanct. hist. Enimuerò nõ videtur is de quo hoc loco Menæa, quem Macarium Romanum appellant. In prima p. VV. patrum, multò etiam fusius huius Romani acta narrantur.

2. Quod de muro ferreo & monstris illis excubantibus narratur, videtur Angelus paradysi adyta, illudque in accessum primorum parentum beatum nemus insinuare, de quo Theologi quoque ad illa verba Moysis.

Gen. 3. *Et collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni.*

Non

Non est credendum, inquit Theodoretus, *Cherubim dicere virtutes quasdam inuisibiles, vt quidam existimant, quoniam inuisibilis natura nihil illis contulisset, cum visio sensibilis esse deberet, qui ipsum Adam exterreret. Non igitur gladius ille flammeus naturaliter igneus erat, sed visu talis: neque Cherubim erant animalia; sed talia videbantur.* Et mox infra concludit sententiam. *Illud igitur: & statuit Cherubim, dixit: vt indicet potentem quandam & terribilem visionem & formam, perinde ac si quadam animalia in ingressu paradisi collocasset, quibus inde arceretur Adam.* In eadem opinatione fuerunt Theodorus Heracleæ Episcopus, & procopius Gazæus, quorum sententiam noster Pererius ita exponit: *Ergo isti arbitrantur cherubim, qua ante paradisum erāt, non fuisse aliud quam spectra quædam & simulacra terribili forma ad incutiendum horrorem, metumque primis hominibus in vestibulo paradisi collocata, more agricolarum, qui in hortis & satis, ligneos defigunt palos, laceris humanarum vestium pannis obuolutos, vt eo terriculamenti genere aues à seminum & frugum pastu territas arceant:* Hæc Pererius. Hebræi tradunt vocabulum Cherubim propriè picturam seu figuram significare, semper ferè hominum præterquam apud Ezechielē, cap. 9. & 10 vbi significat figuras animalium de quibus fusè Villalpandus tom. 2. p. 311. & sequēt.

quales olim pilæ cōpitales & q̄ feris obiectabātur, aut qualis Mā ducus effigies formi dolosa, mālis magnis dentibus sonū ingētē faciens, vt est apud Festum.

3. Dracones, inquit, capite referebant. Ex Græcorum ergo quorundam interpretatione illi Cherubim, quasi monstra quædam triformia, & Chimæras designabant, quæ tutelam paradisi gererent, qualia à poëtis quoque finguntur.

Hom. Ili. ad. 2.

——— ἦς ἄρ' ἔην θεῖον γένος, ἐξ ἀνθρώπων
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

Lucretius

Qui

Ouid. 4. Met. *Qui fieri potuit triplici cum corpore, & vna*
Prima leo, postrema draco, media ipsa Chimæra
Ore foras acrem flaret de corpore flammam.

1. 9. Nouem *Quòdque Chimæra iugũ medijs in partibus hircũ*
pectus & ore leo, caudam serpentis habebat.

S. THEOCTISTA LESBIA VIRGO.

METhymnensis hæc erat patria, vitæ statu religiosa; Nam à prima infantia in virginum cœnobium deducta, sacrum religionis cultum induit. Nata annos decem & octo, in vicinum egressa vicum sororem salutauit. Sed cum eadem nocte Cretenses duce Nysiride, 2. locum inuasissent, omnes incolas vna cum Theoctista ceperunt, Ad lucem ergo morati in insula, captiuis vndique coactis, prædã composuerunt. Theoctista dato clam fugæ loco in siluam cunctis ignota secessit, vbi & postmodum, quamuis fame, frigore, æstuq́; grauiter diu, multumq́; conflictata perseuerauit, lupinis & agrestibus herbis pasta, intra quinque
3. supra viginti annos visa nemini, Deo penitus addicta, cui viuebat soli & intemeratæ Dei matri. Anno quinto & trigesimo exacto, diuino ductu, venator ferã persecutus, atque à cæteris longius digressus 4. ædem Deiparę visendi gratia ingreditur, erat enim

enim locus desertus, precatusque suspexit aliquantulum, viditque ad dextrum aræ latus quasi velum à vento agitatum, aut aranei telam. Ergo rei propius intuendæ causa progressus, audit vocem ita se compellantem: siste gradum homo, nec propius accede: fœmina enim abs te videri erubesco. Perculsus ille & tremore correptus fugam meditabatur, etenim comæ illi spinæ instar erectæ inhorruerant; ægréq; tandem recepta mente quærebat, quænam, & vnde esset: Et illa. Vestem, inquit, obsecro huc proiice, vt tecta tecum loqui possim. Quod ipse cum fecisset, illa vestem induta, signoque crucis expresso munita, advenatorem prodijt. Et erat forma quidem muliebri, sed specie vix humanâ. Crines alba, frontem nigra, corpore ita extenuato, vt vix ossibus hæreret, meráque vmbra videretur. Expositis ergo, quæ supra narrauimus, hæc adiecit: precata venatorem vti sibi particulâ sacrosancti corporis Christi adferret, rursum vterque ab altero discessit. Qui postquam cum sacris mysterijs Eucharistiæ reuertit, accepit hæc, illa precabunda, Deoque meritas grates persoluit. Abijt hinc ille ad venationem, & paulò post ad eam, veluti desideratum thesaurum, reuisit, quam defunctam iam offendit, cui

En vsum vnius speciei.

8. pro loci facultate tumulum parauit, eodem loco, vbi mortuam, repererat, multa precatus. Deúmque debita laude veneratus humo condidit.

ANNOTATIONES.

1. MEtaphrastes copiosè præstantis huius virginis acta prosecutus est. Extant & apud Lipom. t.5. & Surium. Celebrant hanc Molanus & Martyrolog. Romanum 10. Græcum 9. Nouembris.

2. Parum insulam Cretenses Arabes inuaserunt, in qua degebat S. Theoctista.

3. *Ex Eubœa*, inquit Metaphrastes, *Venatores huc venerunt: habet enim Parus insula magnam ceruorum & caprearum copiam.*

4. *Aedem Deiparæ pius venator more suo* inquit Metaphrastes, *religionis causa ingressus erat.*

5. Hæc aliter in Metaphraste. Venator defunctã non sepeliuit, sed cum lacrymis veneratus reliquias, manum eius præcidit, secumque abstulit, mox coactus referre, cum nauis non nisi relata dextra propelli posset. Socij venatoris intellecto miraculo certatim & ipsi ex naui ad templum aduolabant, sed præter vestigia corporis nihil amplius reperere.

S. HYPATIVS EPISCOPVS 1. GANGRENSIS.

1.

15. Nouēb *Ead prolixius.*

S. Hypatius Constantino M. imperante floruit, vnus ex illis CCCXVIII. patribus in

in Concilio Nicæno versatis, qui vitæ virtutisque laude insignis ingentia patrauit miracula, magnamque hominum copiam Christo adiunxit, domúmque hospitalem erexit, &* sorices, aliasque pestes regionem vexantes verbo extinxit. Noctu cum obambularet, velut illustre quoddam sidus refulgebat, marisque acrimoniam in dulcedinem vertit. Constantio verò Constantini F. regnãte, immanis quidam draco thesauro Imperatoris ita incubuit, vti nemo auderet illuc aspirare: Quod si quis audentior accederet; illico vita multabatur. Imperator ergo inops consilij, fama ad se de viro S. perlata, mittit, qui illum eant accersitum. Vbi venit, gazophylacium solus accedit, ianuam reserat: scipione quem gestabat crucem pręferente draconem icit, trahensque velut cetum virga captum extraxit, ingentique rogo in foro, illius iussu, excitato peremptum iaculo, concremauit. Imperator perculsus admiratione, ne quid in posterum eiusmodi accideret, sanctam illius viri imaginem ad ingressum ęrarij iussit figi. Inuidebant huius virtuti impij Nouatiani, qui assiduè in illum incurrebant, præsertim perfidi Laziceni, qui positis illi circa angusta viarum & prærupta montium, qua transeundum erat, insidijs, .·. venerandum

25. Febru.

* Vt S. Vdalricus noster.

.·. Αβραμιαῖον.

randum senem repente simul viri fœminæque lapidibus obruerunt, cuius iam cadentis, & iam prope exanimati temporibus, sacrilega impuráq; 2 lamia, quæ totum hæreseos poculum exhauserat, saxum ingens, impegit, & quod reliquum erat vitæ, ademit. Ita ille decus martyrij est adeptus.

ANNOTATIONES.

1. MOlanus in Martyrologio Ancyranum facit Episcopum, quod acta in Menæis infra 25. Februarij & 31. Martij, repetita non memorant, sed natione Cilicem fuisse, Archiepiscopum Gangrensem, in Galatia martyrium obijsse tradunt. Martyrologium Rom. etiam hoc die Hypatium celebrat Gangræ Episcopum, vti & Menologium Græcorum.

2. Hæc ad tumulum postea Gangræ curata est, Act. 25. Febr. vbi plura de hoc in Menæis.

DE VENERANDO ZACHARIA CALCEARIO. ET IOANNE.

17. Nou. VIR quispiam fortuna illustris, Ioannes nomine, abiectis rebus humanis, precario cœpit viuere, ipsáque re bonorum sibi conciliabat societatem, & precibus totas noctes traducebát. In atrijs porro Domini peruigilare illi solenne erat. Ergo no

cte

cte quadam venit ad templum Byzantij, q; à Dei sapientiâ, Sophiæ vocabatur, cuius vbi fores clausas offendit, fessus in vicino requieuit sedili, cantillans secum pro more hymnum. Quod dum agit, videt ex longinquo splendorem luminis affulgentem, notatq; oculis venerandum quendam virū ductum lucis sequentem, ingentiq́ue perfusus ob hoc spectaculum gaudio, se magis contractum abdit, cupidus videndi finem rei. Vbi ergo ille, duce lumine, ad occlusas templi valuas peruenit, in ipso prouolutus vestibulo aliquamdiu precatur, sublatisq́ue in cœlum manibus, crucis Christi signum portis inprimit, extemploq́ue cum lumine sine vllo impedimento ingreditur, rursusq́ue in pauimentum sese pronum abijcit, vbi expressa Dei matris imago supra imminebat. Deinde cum surrexisset, & has ianuas aperuit, progressusq́ue in atrium ad argenteas valuas sat diu, vt spectanti videbatur, in precatione perseuerauit; iterumq́ue videt ab illo per crucis formam hos quoq; postes reserari, eumque vndique circumfusum luce augustum templum intrare, atque in medio ferè sacrario, sublatis in altum manibus comprecando sibi numen propitiare. Votis dein persolutis rursum ad vltimum templi atrium regreditur, foribus

retro cunctis cœlesti nutu clausis. Stetit ergo vir ille diuinus, vt dicebam, iterque explorabat, quo ille templo egressus tenderet. Vtque aduertit illum rectam ingredi, non cunctatus alter ille sanctus, vestigia prioris illius persequebatur, vti nosset, vbi sacer ille Dei thesaurus conderetur. Postquam verò à recto itinere paululum deflectere visus, qua ad gradus S. Iuliani Martyris descenditur, ad paruissimam casam constitit, vxoreq;, cui Mariæ nomen erat, modestè vocatâ, foribus manu pulsatis ingressus est. Tum demum fulgor ille luminis, qui in via virum vndique circumfulserat, subductus euanuit, simulque in vtroque illo nox deprehensa. Fœmina subito aduolans accensa lucerna ingredienti occurrit. Vir autem neque lectum petiuit, neq; vllam corpori quietem indulsit, sed recta ad opus redijt: Suternam enim exercebat & cerdonem agebat. Tum iure celebrandus ille Ioannes, hunc secutus in domicilium liberè inuasit, humique prostratus laudatissimi illius vestigia lacrymis irrigauit. Et ne me, inquit, celaueris, qui sis tu, quódue tuum tam sublime vitæ erga Deum studium, quo tanta miracula, quorum ego spectator fui, perpetrasti; Et ille, cum se inter postremos numeraret: ignosce, inquit, per Deum se-

nex

nex, homo ego peccatis obsitus, nullius mihi præclari facinoris conscius sum : quis enim ego rudis & idiota sim? aut quid ego norim, vnde alios informem aut sanctimoniam doceam, necessario (victus parandi) opere distentus : errasti mi homo, errasti, inani phantasmatis imagine delusus, nulla vera specie illustratus. Tum senex lacrymas lacrymis affundit, testaturque Deum, se non cessurum, donec quid in vita optimè feciſſet, exponeret, Nisi enim, inquit, nutu numinis fieret, vti tuam vitæ rationem discerem, nunquam ego postremissimus huiuscemodi spectator .·. mysteriorum admissus fuissem. Hìc ille iurisiurandi religione adactus, de loco, vbi resederat surrexit, senique prius culpam confessus, cœpit in hæc verba proloqui. Ignosce mi frater, ego, per fidem, inquit, in terris nihil præclarè gessi, nisi quod omnibus me peccatis involuerim, corporisq; voluptatibus indulserim. Dei verò mei clementia, serò tandē inferorum supplicia sempiterna reformidans, hanc, quam vides sororem, in vxorem duxi, cuius 2. virginitatem hactenus inuiolatam, non inquinaui, sed ambo pari castimonia vitam traduximus, & apud notos huius infæcunditatem excusauimus.

.·. μυείων mendose haud dubiè, lego μυστηρίων.

2.

Ad hunc vsque diem desiderio conditoris

ris ab omni vsu tori abstinuimus. Addo alterum propter iurisiurandi religionem, qua me deuinxisti. Tota victus mei possessio, per fidem, non amplius, quàm in trimestre sufficit, quam manûs opere soleis parandis quæro, rursumque precium ex hoc partum, æquali sorte diuido; primamque & præstantissimam Christo largior (in pauperibus) alteram ad vsum vitæ necessarium confero. Et ita in singulos dies viuo, animoque iudicem quotidiè, & rationum exactores spiritus, qui viam ad cœlum obsident, propono. His dictis inter se submissa fronte, pronóque in terram vultu consalutantes diuulsi, alter incubiculum placidè secessit suum; hic verò Ioannes inde digressus pro hac hospitalitate, in qua tanta tàmque diuina vidisset, debitas Deo grates persoluit. Admiratione verò prosequendus ille cerdo, veréque contemtor omnis fastus, humanæ illicium gloriæ fugitans, domicilium mutauit, nullique deinceps mortalium cognitus est amplius.

De his exactoribus infra fuse.

ANNOTATIONES.

1.

Sigebertus & scriptores Germanici, aliiq;

GEmina his facta quorundam per illustria me minimus: Henricus Imperator Augustus Hezilonis filius, Cunegundem Augustam virginem 2. coniugem accepit, seruauit, moriturus cognatis qualem

qualem accepit, reddidit. Pulcheriam non memoro, quamquam primo loco ponendam. Hic de ijs agimus, qui coniugij specie tectam vel virginitatem, vel post susceptos aliquot liberos castimoniam coluere. De Andronico & Athanasia iam supra legisti. In SS. patrum historia de S. pafnutio refertur, eum ab angelo cum alijs, tum cuidam primario vici, ad quem proximus colebat Pafnutius, in virtutum ac præmiorum cœlestium statu comparatum. Vicanus enim ille solitus erat peregrinis hospitio susceptis pedum vestigia lauare, cœnã apponere, omnia humanitatis officia & manentibus & abeuntibns exhibere: triginta annos post trigeminos ex coniuge procreatos liberos, continentiam ita coluit, vt coniugem non attingeret, aliaque æternâ commendatione dignissima gessit, quæ ibidem recensentur. Extat & illustre S. Ammonis Anachoretæ facinus, cuius diuinam animã S. Antonius vidit ad cœlum deportari. Fuerat is generosis & copiosis parentibus oriundus, sed inuitus reclamansq; ad nuptias & coniugium per vim impulsus, cum sponsam celebratis solemnibus nuptiarum, intra conclaue solus recepisset, institutа virginitatis laudatione, facilè persuasit virgini, vti secum vellet æternum pudoris illibati florem ignaris omnibus, custodire. Præfuit ergo post mortem parentum, Ammon viris religiosis in cœnobio. Virginibus virgo. Nec Eucharisti opilionis cum Maria coniuge, itidem virgine, virtus tacenda, qui quas pascebat oues à paterna hæreditate acceptas, in tres diuisit partes, vnamque egentibus largiebatur, alteram in vsum peregrinornm & hospitum impendebat, tertiâ se coniugemque, quam virginem intemeratam seruauit, alebat: noctuque secubabant semper, & saccis cilicinis vtebantur. Non

dist. 2. exempl. 4. Magni spec. exẽp.

dist. 2. c. 15.

Fusius hæc in Vitis patrum.

dist. 2. c. 194.

possum dissimulare (quod partim apud D. Gregorium Turonensem, partim alios scriptores memini legere) nobile par coniugum ex nobilissima Romanorum senatorum stirpe genus ducentium Arcadij, Honorij, & B. Martini temporibus, celebratis nuptialibus sacris, de corporibus illibatis, mentibusque ab omni Veneris labe intactis conseruandis consilium inijsse, cum virgo quædam inter pompam procedentium, plaudentiumque tacita secum precaretur. *Fiat cor meum, & corpus meum immaculatum, vt non confundar.* Ad vesperam, cum peractis conuiuijs ad geniales thalamos deducti essent, clauso cubiculo virgo ad parietem versa cœpit flebilem in modum deplorare periculum amittendi pudoris. Rogat iuuenis quid sibi velit illa dolenda lamentatio? Thesaurum, inquit, virginitatis iam pridem cœlesti sponso deuotum infælix ego nunc inuita perdam, fidemq; Deo datam cogar violare? Atqui inquit iuuenis, & coniugium haud displicet Deo, ab eodem ipso in exordio conditi orbis institutum, ex quo mundus instauratur, virgines prodeunt, cœlum Diuis completur. Longè Deo gratior, inquit virgo, purissimo inquam Deo, puritas corporis & animi, quam colunt cœlestes spiritus, quam Christus sanxit in terris, cum ex virgine, præter naturæ vim, & facultatem voluit nasci. Concessit in sententiam virginis, nondum maritus, corporisque fluxam voluptatem æternitati virginitatis posthabuit. De communi ergò sententiâ castimoniam animorum corporumque Deo consecrant, inuiolatamque tuentur semper. Virgo ante virum, post certum annorũ curriculum, è vita ad cœlum euocatur, tumulus comparatur, sacris piacularibus factis, in sepulchrum demittitur. Cum vir tumulo imminens;

gratias

Gratias, inquit, ago tibi Domine Deus, atque hunc thesaurum a te mihi commissum immaculatum & integrum restituo. Tunc illa de conditorio sepulchri, perinde quasi viueret, subridens, Sile sile, inquit, vir Dei, cur ante tempus ea loqueris, quæ non interrogaris. stupent omnes rei nouitate attoniti. Nec multo post, & ipse coniux vita decedit, conditurque in eodem quidem templo, sed longo interuallo à sepulchro coniugis. Postridie tamen cõiuncti vtriusque tumuli reperiuntur, vt quorum animas coniunxisset cœlum, corpora non separaret terra. Incolæ tantum miraculum contemplati, coniuges hos nominarunt *amantes*, quos hodieque summo honore prosequuntur. Præclara hæc sunt. Nec tamen his cedit virtus Elzearij comitis & Dalphinæ coniugis, quorum sanctissima vitæ instituta ex MS. Surius magna fide transcripsit. Ego ex ijs vnicum florem decerpam, qui ad rem præsentem facit. Decenni, iussu Caroli II. Hierosolymorum & Siciliæ regis, Massiliæ sponsa deligitur Dalphina virgo, duodecim annos nata, in paucis casta, nobilis & religiosa. Post triennium in castro Poderij Michaëlis, solenni cerimoniâ nuptiæ peraguntur. Quatriduo post, sponsa ad arcem Ausoisij, vbi Elzearius degebat adducta, sponsique nocturnum ingressa cubile, animum Elzeario tum tredecenni aperit, seque coactam ad coniugij societatem accessisse, pudoremque & thesaurum virginitatis impulsu Dei, Deo integrum statuisse custodire. Nec ab eâ animi sententiâ adhuc discedere. Elzearius nihil dum de corporis seruandâ puritate quamuis purissimus, deliberarat, virginem tamen sibi nuptam ea nocte non contigit, quam illa insomnem duxit, lacrymisque & precibus totam traduxit. Sequentibus inde noctibus cum inconcla-

ue

ue rursum concederent, virgo nobilissimum iuuenem castis adorta sermonibus ita occupauit, vt & ipse paulatim animum religiosum indueret, virginemque violare vereretur, nec vnquam contrectaret. Tandem, cum S. Agathæ festo, coniugij (sacramento se deuinxisset, die Virgini Dei matri in cœlum assumptæ sacro, post sumptam in templo diuinam Eucharistiam, dum assidet prandio, cœlesti subito afflatus spiritu intima animi sensa inusitato pertentari gaudio sensit, quod & in corpus redundauit, vnde cum æstu amoris diuini arderet, vultu rubore perfuso, quasi febrientem ad cubiculum deducunt. Vbi ille dimissis omnibus: humi prostratus, inflammatus amore diuino, cœpit omnia vitæ humanæ cõmoda fastidire, rerumque fluxarum inconstantiam & vilem conditionem pernoscere. Quare Deo plenus, decernit, nec tamen adhuc vouet, nullo se fœminæ contractu corpus polluturum. Vixit ergo deinceps cum suâ sponsâ, in eadem domo, cubiculo, lecto, tam purè sanctéq;, atque vllus in solitudine anachoreta, aut virgo cœnobij claustris circumsepta. Vsque adeò extinctus erat in eo omnis sensus Veneris, vt quo propior esset virgini; hoc se magis remotum ab omni cupiditate sentiret atq; diceret. Interim Christus quibusdam sanctis, ostendit, quam grata sibi esset cõiugum horum virginitas, Philippus enim Rhegius è S. Francisci familiâ, nobilitate iuxta ac virtutibus clarus, dum rebus diuinis dat operam, videt ad Elzearij & Dalphinæ, in altera spondâ, seu toro cubantium caput, Christum inter vtrũmque stantem, placidoque vultu vtrumque aspicientem. Ex quo viso facile coniecit Philippus quanta, quamque grata Deo vtriusque esset puritas. Eadem species Bertrandæ sanctissimæ matronæ obiecta, nisi

quod

quod Christum inter vtrumque, dum vna cubarent, medium sedentem conspexerit. Decennio ferè exacto, cum vterque virtutem alterius probasset satis, ad vota demum edenda Virginitatis accessere, quæ præsentibus tantum Garsendâ nobili & castissima matronâ, eiusque filio Iuordo equite & Alasia Dalphinæ sorore, conceptis verbis, virginitatis æternum seruandę ediderunt, nemine alio cõscio, quod & ipsi testes clam habuêre, quoad ipse sub vitæ, quam sanctissimè clausit, fineni, impulsu nu minis, arcanum aperuit, cum apud circumstantes diceret. Seruatus est homo malus per mulierem bonam, quam sicut virginem accepi, ita etiam virginem relinquo. Obijt hoc mundi miraculum, cœlitum gaudium A. C. M. CCCXXIII. V. Cal. Octobr. vixit annos XXVIII.

IOANNIS CVIVSDAM VISIO.

COnstantini Imperatoris æuo, fuit vir arte quadam sua clarus, & ipsi Imperatori familiaris. Hic vitam egit parum sanctam, futuraque inferorum supplicia nunquam secum animo pertractabat. Cui Dominus, qui omnia ad salutem & commodum suorum sapienter administrat, speciem quandam visionis, quæ ad eius valeret emẽdationem obiecit. Secundum quietem nocturnam visus est sibi videre virum quempiam, qui artis suæ specimen exhiberet Imperatori 23. Nouẽ.

peratori, vti deinde familiares essent inter se, mutuâque consuetudine delectarentur. Postea Imperator illi videbatur gladium stringere, illiusque comam in nodum collectam prendere, quasi eam, viro interim collum inflectente, esset illico ferociter resecturus. Et quia vir tantum irridere videbatur Imperatorem; Imperator illo atrociter compellato: Vbi ferrum capillos tuos depascetur, tum & illi ceruicis tuæ sanguine tincti rorabunt; deinde ictu machęræ, vnà fauces videbantur amputari, & iam ferro pectori imminente periclitatus ille, auxilium vnde vnde poterat, inclamauit. Ex illo porro horrore, trepidatione & terrore formidabilis illius periculi & certaminis expergefactus, vehementer fuit attonitus, crucęq; sese præmuniens, gratiam, inquit, tibi somne, hoc periculoso de agone menti meæ obiecto habeo. Et tamen, vt reor, hic vitam postea non emendauit. Aliquanto vero post, morbo tentatus, opem cœlestem implorauit.

Rursum ergo tunc iam non per somnium, sed verum mentis quendam excessum, videt se in sella quapiam secreta constitutũ, vel potius ad iudicij tribunal adductum, cui rex sanè tremendus, & supra quam dici potest formidabilis, pontificali cultu, & regia

chlamyde

chlamyde indutus, præsidere videbatur.

Ad cuius vtrinq; latus venerandos quosdam mystas residere cernebat, se autem ad gradus infra altare illud, seu tribunal stare putabat. Ad dextram quidē regis, formosos quosdam ephebos consistere existimabat, à sinistris verò alium quempiam inferiorem ac modestiorem, chaos autem poné tenebricosum despectabat, quod ingentem spectanti metum incutiebat. Ita ergo ante tribunal cum magnâ trepidatione sibi stare videbatur. Ad quem rex Iudicij præses: Age inquit, adolescens nosti qui sim? & ille: noui Domine, illum te qui nostrum corpus induisti, filium iuxta Dei, atque ipsum Deum, quemadmodum literæ nostræ docent. Rursum rex. Ergo cum ex literis, vti tute fateris, me noris, neque eos, qui mihi assident ignores: quo pacto minarum illarum, quas olim Imperator Constantinus tibi incussit, es oblitus? Numquid nescis, quid tibi dixerit? Haud nescio, inquit, Domine, quin & terroris adhuc reliquias in animo circumfero. Et rex: Si timoris adhuc aliquam partem circumfers, quomodo ergo in flagitiosa adhuc vita perseueras? Sed iam experimento disce, me illum priorem, nequaquam vero Constantinum fuisse, qui tibi horrificum illud supplicij periculū ob-

iecit

iecit. Quod cum dixisset solo nutu circumstantibus visus est præcipere, vti Ioannem in barathrum, quod à tergo erat, deuoluerent. Hic Ioannes lamentabili voce Dei matris opem implorabat, quæ subitò inter medios astare visa est, & mox subsequi vox: missum hunc facite propter matris preces. Hic finis huius fuit visionis, Sed ille horrore perfusus, atque in se reuersus, id quod viderat, religioso cuidam viro exposuit, qui ad illum: Da, inquit, Deo gloriam, qui talibus te documentis erudire dignatus est, & expergiscere frater, ne tibi eueniat, quod nunc memorabo. Nam eodem quo tu modo, alteri cuidam talis obiecta species, qui virum quendam inter eos, qui sunt Imperatori à secretis, primarium, Georgium nomine, vidit vinctum magna vi abripi, vti mox in horrificum quoddam chaos præcipitaretur. Hic magna quidem libertate ductoribus illius resistere iussis petebat, vt in vigesimum vsque diem illi induciæ darentur, pro illo emendationem pollicitus. Ergo fide data per auxilium sponsoris dimissus est. Cum autem is, cui visum illud acciderat, ad se reuersus, facilè quo res tenderet, coniectaret, Georgio illi de cuius salute agebatur, id quod viderat non cunctatus est referre. Erat enim illi non ignotus.

Qui

Qui cum hæc audisset, somnia ratus pro nihilo habuit, & mores non correxit. Diebus xx. elapsis, Georgius de medio sublatus debitum omne, vt ille pollicitus erat, persoluit. Quæ cum vir ille à monacho ad rem testandam narrata audisset, mentéque ea qua audisset, reuolueret, rebus suis apertè sine rubore in meliorem statum compositis, cœpit mores emendare, diuque cum virtute viuendo superstes, tandem defunctus ad æterna cœlitum domicilia migrauit.

S. ACACIVS SEV INNOCENTIVS.

ERat hic in quodam Asiæ cœnobio, primamque ingressus adolescentiam, genus vitæ religiosum est complexus: commissus autem erat seni cuidam valde importuno & negligenti, à quo tam indigna tulit, vti multi supra fidem ea fortè sint existimaturi. Modo enim oculum atro cruore suffusum, modo cetuicem læsam, modo caput plagis contusum ostentabat. Exacto ergo, cum illo immani sene, nouennio, ad Dominum migrauit, & in cœmeterio inter reliquos patres est humatus. Adijt huius moderator (tetricus ille senex) alium quen- 29. Nouẽ.

dam magnæ pietatis virum, inter alios ibi degentem, cui ſenex: Frater noſter Innocentius eſt mortuus, quod ille cum credere non videretur, veni, inquit, & vide: Ambo ergo cœmeterium petunt, vbi venerabilis ille pater mortuum, tanquam adhuc viueret, compellauit. Frater Innocenti, inquit, es ne mortuus? ille verò promtè ſolitus obſequi, etiam poſt mortem obedientiam declarauit: & ad magnum illum patrem: quomodo, inquit, venerande pater, fieri poteſt, vt homo obedientiæ deditus moriatur? Tum ſenex ille, qui innocentij fuerat magiſter, rei miraculo attonitus, cum lacrymis ſe in terram proſtrauit, iuxtaque Innocentij tumulum, domicilium ſibi collocauit, vbi reliquum vitæ tempus religiosè transegit, patribusque tranſeuntibus, ſe ſemper homicidam appellauit. Diuinus ergo hic Innocentius, in huiusmodi laborum patientia beatam transegit vitã, eamq; tàm beatè poſtea concluſit. Venerandum porro eius corpuſculum cœleſti virtute abomni labe intactum & incorruptum multis annorum ſpacijs eſt ſeruatum. Accidit olim, vt illius cœnobij incolæ monachi, tempore meſſis ad ſegetem colligendam exirent omnes, duobus tantum in monaſterio relictis, altero ægroto, altero, qui tutelam

telam gereret domus. Interim euenit, vt æger vita defungeretur, custos ædium cum solus tumulum fodere, & curare cadauer non posset, aperto admirandi illius Innocentij monumento, defunctum fratrem ibidem cum S. Innocentio collocauit. Postero die cum ad sepulchrum reuiseret, fratris pridie sepulti cadauer, extra conditoriũ reperit, rursumq; in eod. monumẽto reponit. Sed cum postridie idẽ eod. modo iterũ cadauer, extra S. Innocẽtij sepulchrũ offenderet, cœpit custos ædiũ (homo nẽpe minimè malus) expostulare cum S. Innocentio, audiui, inquit, S. Innocenti, te olim in vita ꝑter alios omnes obsequentissimum fuisse. At nunc vt video refractarius es factus, imò & superbus, vt qui fratrem non admittas in societatem sepulchri, sed eijcias illum; aut ergo permitte, vt tecum requiescat, aut si illum iterum eieceris, ego te quoque non feram, sed ex tuo te sepulchro eijciam. Itaque cadauere denuo impositio abit. Alteráque luce reuersus, illius quidem fratris corpus quod imposuerat, in tumulo cernit sed S. Innocentium non vidit amplius. Hodiéque videre est inanem tumulum, qui tamen à Sancto, Innocentij sepulchrum appellatur.

ANNOTATIONES.

Huic ipsi Ioanni Opanij cum Innocētio mortuo colloquium fuit.

PArtem huius historiæ primam de innocentio refert apud I. Climacum Ioannes Opanij Sabbaites, altera in Menæis, quam transtuli, reperitur. Porro Ioannes Opanij Sabbaites Antiochus dictus, magnarum virtutum vir, de se ipso, in alienâ personâ, hæc apud Climacum narrat. Alius quidam in eodem Asiæ monasterio, cuidam monacho leni & mansueto, in disciplinam est traditus. Sed iuuenis cum videret se à suo magistro parum seuerè tractari, imò coli & honorari, id quod multis discipulis præsens attulit exitium, rem huiuscemodi sapienter & solerter excogitat. Discedendi veniam ab eo petit, quod seniori non videbat fore molestum, cum haberet alium, qui necessaria submministraret. Profectus igitur ille à magistro cum literis commendatitijs, ad quoddam Ponti cœnobium venit, vbi mansurus, prima nocte ab ingressu, per somnum videt quosdam à se rationes exigere: tandem post horrificum illud examen debere se reperit* centum auri libras. Experectus pertractans secũ, id quod per nocturnã speciem viderat, probe intellexit, quorsum eæ rationes pertinerent. Ergo seipsum allocutus, infælix, inquit, Antioche (nam hoc sibi nomen adsciuerat) ingenti ære alieno oppressi sumus, multaque nobis nomina & debita sunt presoluenda. Ergo per triennium, inquit, in cœnobio omnibus me subieci, omnibus quidquid iuberent, sine discrimine, parui, tum me velut ignotum & peregrinum multis iniurijs mactarent, cum præter me peregrinus esset nemo. Post triennium rursum in somnis aspicio* decem duntaxat auri libras ex rationibus sublatas ac deletas. Excitatus haud ignoraui, quid sibi vellet somnium: miser

**decẽ millia Philippæorum.*

**millet Philippæos.*

ſer, inquam, Antioche, toto triennio non niſi decem libras de centenis perſoluiſti, ecquando totũ æs ac debitũ diſſolues? Itaq; pro * fatuo & amente me geſſi, ſic tamen vt interim nihil de miniſterij officio prætermitterem. Quare cum me pro ridiculo & ludibrio haberent, meamque cernerent ad omnia alacritatem, moleſtiſſima quæque & abiectiſſima, grauiſſimaque monaſterij onera impoſuerunt, quæ ego patienter exantlaui. In hoc vitæ inſtituto, cum totos tredecim annos poſuiſſem, vidi rurſum eos, qui primum à me rationes exegerant, totam debiti ſingraphan deletam oſtendentes. Hæc Ioannes ille, qui cum mortuo Innocentio ſermocinatus eſt, cuique mortuus reſpondit, de ſe, alieno vt dixi nomine, narrauit. Addam alterũ eiusdem factum. Cum in S. Sabæ monaſterio degeret, tres quidam ad eum adoleſcentes, vt eius ſe diſciplinæ committerent, adiêre, quos Ioannes hoſpitio gratulabundus excepit, omniaque humanitatis officia, vt ab itinere eos reficeret, exhibuit. Poſt triduum illos hiſce verbis compellat: Ignoſcite fratres, alium vobis vitæ magiſtrum quærite. ego ipſe improbus vobis præeſſe nõ poſſum. Adoleſcentes hoc illius reſponſo minimè deterriti, enixius inſtitêre, vt in diſcipulos admitterentur. Enimuero cum exorari nullis precibus poſſet, nouerat enim quid ſibi, quidque adoleſcentibus expediret, omnes ad eius pedes prouoluti, rogant, vt ſi diſcipulos nollet, ſaltem rationem doceret, qua vitam ſuam inſtituerent, vt à ſalute ſempiterna ne excluderentur. Cum rem ab adoleſcentibus ſerio geri cerneret Ioannes, ceſſit illorum petitioni: ac primo, placet, inquit Domino fili, vt in ſolitudine patrem quæras, cui te ſubijcias, atque in eius auctoritate perſiſtas. Alteri, & tu, inquit, abi, &

* *Ita in Tabenenſiotarũ cœnobio, Virgo quadã ſeenergumenam & inſanam finxit.*

tuos voluntatis sensus abdica, ac vende, ac tolle crucem tuam in cœnobio fratrum, & comparabis tibi thesaurum in cœlo. Tertio dixit: repone intimis sensibus tuis verbum illud, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Ac proinde abi, & inquire magistrum & rectorem vitæ, quem in orbe potes inuenire durissimum ac seueriſſimum, à quo conuitia & contumelias quotidie sexcentas patienter audias, & pro nectare & melle sitias, bibasque vsque ad mortem. Hæc de sanctissimo Ioanne Sabbaita, cuius in vita innocentij mentio, placuit referre. Porro monachus extra sepulchrũ Innocentij repertus, quid aliud significat, quam Innocentij eximiam sanctitatem, a qua alter illi appositus, procul aberat. Ita apud S. Gregorium legimus, puerum cum S. Herculano martyre & Episcopo sepultum, post quadragesimum diem in tumulo, tabo consumtum, cum Episcopus perinde recens ac integer cerneretur, ac si tum primum fuisset conditus. Idem Cosmas eunuchus vir singularis pietatis ostendit, cum hæretico quodam Episcopo sepultus, cum ex sepulchro vox eius audita: *Noli me tangere hæretice, ne accedas ad me hæretice.* Contra verò reperimus pares sanctitate sibi mutuo dedisse locum cum eodem tumulo collocarentur. Lege S. Seueri Rauennatis Episcopi acta apud Surium t. 1. Idẽ infra leges de D. Laurentio qui locũ dedit S. Stephano, & S. Theodora Thessalonicensi.

Matth. 10.

lib. 3. Dial. cap. 13.

Io. Moschus Eviratus siue Sophronius ca. 40

16. Nouẽ.

S. IACOBVS ANACHORETA.

* Constantinopol.

HIc Iacobus in monte triginta ab * vrbe stadijs distante patientiam exercuit, quando

quando nec antrum, neque tabernaculum, nec casam vllam habuit, qua cœli iniurias defenderet. Atq; hæc affirmo, non ex aliorum narratione accepta, sed á me oculis inspecta. Cum enim dysenteria aluique profluuio laboraret, ægrè persuasit auditoribus suis, vti domum redirent, solebat enim illis religiosè viuendi præcepta tradere. Sed & sensim recedentibus, sibi ipsi tamen ad vesperam vsque, quamuis vrgente natura, vim intulit. Hic, vt dicebamus, cœlo tectus, ad omnia iam mala occalluerat, & velut alieno depugnans corpore, sese ferro onerabat, & constringebat, interius quidem cilicinum saccum geminis colligatum circulis gestabat, geminasque catenas ante, & pone à collo decussatim in modum literæ X. vnámque à singulis brachijs suspensam gerebat. Cibus ei ad vesperam erat fressa lenticula. Hisce patientiæ laboribus cœlestis gratiæ munera pro operæ precio tulit. Exanimatum enim puerum, ad lacrymas patris quiritantis ac dictitantis : omnia potes, modò non cuncteris precari, serue Dei, excitauit. Fatigatus enim lacrymis patris & flexus, flexit ipse genua, Deumque precatus, puerum in vitam reuocauit, patrique incolumem restituit. Multa sanè extant præclara sancti opera, sed prætermissis ob

eorum copiam omnibus, vnum non tacebo. Dæmonum insultus sæpe expertus, solis precibus repressit. Erat qui illi quot hebdomadibus ferret longo itinere aquam Huic malus dæmon, Iacobi indutus formam, mediâ occurrit viâ & acceptâ ab eo aquâ domum remisit. Hoc porro insidiator factitabat, vti virum sanctum ex aquæ penuria ad mortem adigeret. Euasit tamen aliquando prædonem minister: & pater, cum baiulum, aquæ videret venientem: Quid hoc, inquit, fili? Iam longum fluxit tempus, cum nunquam attulisti aquam, nosque in non paruam ex aquæ inopia necessitatem adducti sumus. Atqui, inquit, minister, Ego pater semper destinatâ horâ, & die aquam fero. Sed tu modo in hoc, modo in alio occursans loco non pateris, huc vsque me peruenire. Tum sanctus. Posthac, inquit, etiamsi millies tibi occurrero, aut te impediuero, aut reprehendero tu tamen aquæ vasculum mihi ne da, donec ad hunc peruenias locum. Ita egregiè contra hostem depugnabat, multisque perpetratis miraculis lætus ad Dominum est profectus.

ANNOTATIO.

cap. 21. EXtat huius vita prolixùs apud Theodoretum in

ju patrum hiſtoria. Celebrat eundem Euagrius lib. 2. c. 9. Vixit Theodoſij Iunioris imperio.

S. STEPHANVS DICTVS IVNIOR.

ANaſtaſij ſiue Artemij imperio, Patriarcha Germano, Conſtantinopoli, reginâ vrbium eſt natus hic Stephanus, parentibus Chriſtianis, Ioanne & Anna. Ab infantia literis deditus, templum quotidiè cum matre frequentabat, iam tum ſe ieiunijs & vitæ aſperitate afflictans. Vnde & ſexto decimo ætatis anno religioſam induit veſtem. Vbi ſe mox in cœnobio ad pugnam ſanctiorem egregiè comparauit, omnesque corporis motus repreſſit, reſtrinxitque. Nec ita multo poſt euenit, vt venerandus pater Ioannes huius magiſter, & cœnobiarcha, beata quiete mortis potiretur, cum Sancto huic Stephano mox præfectura monaſterij committitur in illuſtri cœnobio S. Auxentij, vbi religioſæ vitæ ſtadium egregiè cœpit decurrere. Sed poſtea ſator ſcelerum, aduerſus Dei Eccleſiam implacabile bellum concitauit, vti ne ſacræ ſanctorum imagines colerentur. Leo porro Iſauricus huius aptum erat ſuſcitabulum. Sed enim ipſo vitâ mox deuoluto,

à B. Germano egregiè refutato & repulso, Constantinus Copronymus impietatis illius hæres & filius, maiora etiam mala designauit, Ecclesiamque vastauit & euertit, sacras imagines flammis aboleuit, viros religiosos exilijs, & omni genere tormentorum afflixit. Hic cum de B. Stephano accepisset, quod & sacras iconas veneraretur, & ab eo in hæreticorum censum referretur, & hæresi subscribere recusaret, misit qui illum comprehenderent, & innumeris excarnificatum tormentis carcere, quod prætorium vocant, inclusit, vbi & lectissimi quique monachi duo supra quadraginta detinebantur, & illi ex Petri & Andreæ cœnobio, alijque ex alijs locis ad trecentos vsque, hi nasis, illi auribus, alij oculis, manibus, alij & mento multati, quos ibi repertos B. Stephanus, amicè complexus ad patientiam, & pugnam adhortatur, interimque disciplinam religiosam ad vnguem in ipso prætorio sanxit, obseruauit. Quod cum Imperator intellexisset, carceremque in monasterium à Stephano esse commutatum, cum vndecim iam ipsos menses in carcere traduxisset, inde eiectus, in terram deuoluitur, saxisque impetitur, ac fustibus contunditur. Vnus autem quidam ex latronibus arrepta fude cerebrum ferit, sanctũque

que capite ex ictu hiante interficit, qui preciosam Deo animam commendauit. Reliqua autem lictorum turba iam mortuum ac nudum in viam publicam protaxerunt, manusque & pedes lapidibus comminuerunt, ipsosque digitos vna cum vnguibus conuellerunt: quoad quidam ex impij illius Imperatoris satellitio, ingenti saxo ventrem illius ictum disrupit, vnde mox omnia eius viscera in terram effusa sunt. Et caupo quidam titione ex igne rapto, capitiq; impacto diffidit totum, ipsumque cerebrum in terram excussit, reliquias illius sacras impuri illi in mare sparserunt. Postea tamen (inuentæ) à pijs quibusdam conditæ eo loco sunt, quo & hodie sitæ spectantur.

ANNOTATIONES.

ADiuncta est huius vita operibus Damasceni auctis, ex bibliotheca Constantinopolitana depromta intreprete Iacobo Billio, quam in sua opera transtulit Surius, atque in capita distinxit. 28. Nou.
Hic ex Menæis epitomen legis totius vitæ. Laudat eundem Cedrenus in Constantino Copronymo, Anno, inquit, XXV. insaniâ contra omnes Deum timentes percitus Stephanum iuniorem, omnibus ob illustres virtutes cultum (sexaginta enim annos inclusus claustro, quod est in colle Auxentij exegerat) variè cruciatum necat.

3. Decem. *Alius videtur 14. Ianuarij.*

S. P. THEODVLVS,

HIc imperante Theodosio Magno vixit, patriciæ stirpis, & præfectus prætorio, qui inculpatæ vitæ vir in coniugio agebat. Cum videret à magistratu omnia per rapinas, auaritiamque geri, præfectura se abdicauit. Vxore tãdem etiam defunctâ, fortunas, quas amplissimas habebat, quingentas inquam, & quinquaginta auri libras, in pauperes est elargitus, Edessamque venit, vbi in columna quadam triginta ipsos annos vitam religiosam, & solitariam egit. Vnde magnis à Deo gratijs auctus, nihil amplius ex terrestri gustauit alimento; sed solo corpore & sanguine Christi diebus Dominicis, sanctaque oblatione est pastus. Perturbatus olim cogitationibus molestis auebat scire, eccui tandem ex gratis Deo seruis 1 par esset iudicatus, audiuit se Cornelio 2 mimo qui Damasci degeret, parem in regno Dei futurum. Quod respõsum parum abfuit, quin illum in grauem animi perturbationem conijceret, id quod omnino ex hostis animorum nostrorum insidijs illi propè euenisset. Venit ergo Damascum, Cornelioque reperto, ad pedes accidit, rogauitque vti sibi genus vitæ, rationem-

55000. Philipp.

1.

2.

tionemque explicaret. Sed hic se infelicem esse peccatorem dictitabat, nihilque præclari in vitâ gessisse. Vrgente vero altero & collacrymante sene, coactus dixit. Ego pater, à prima ætate mimicam, scenicamque artem exercui, indeque mihi vitæ necessaria comparaui. Tandem verò, quamuis serò redij in memoriam, quæ designaui malorum, mentequé futuri iudicij talionem perpendi, atque deinceps me ab omni flagitio abstinui, vitamque integram instituí, pauperum inopiæ sublauandæ pro facultate meâ addictus. Cum verò pater adhuc amplius instaret, & illum sacramento adigeret, vti & reliqua aperiret, respondit Cornelius: 3 Pronuper (sancte pater) illu- 3ª
stris quædam matrona, quâ opum & honorum, qua pudicitiæ laude spectabilis, viro à parentibus in matrimonium locata erat, qui per luxum & intemperantiam, non suum tantum, & vxoris patrimonium decoxerat, sed æs insuper graue per commessationes contraxerat. A creditoribus ergo in vincula tractus, coniugem longo tempore immenso afflixit dolore. Cum enim miserabilem illum in carcere fame propemodū enecari sciret, animum illa prope despondit. Cœpit tamen stipem cogere, animâ velut in trutinam depositâ, fluctuabunda,

anxia

anxiáque ne pudicitię labem inferret, quod forma esset bona & integra. In hanc ego cum incidissem, statumq; vitæ, & causam cognouissem, sanè vehemẽter animo commotus indolui, rogauiq; lacrymans, quantum, inquam mulier est æs alienum? Quadringenti, inquit illa, mi domine, sunt aurei. Ego cum opes meas omnes ad calculũ vocassem, ducentos non amplius & triginta aureos reperi, qui cum ad sortem nõ sufficerent, suppellectilem, & quæ habebam precioſa, vestesq; ipsas, quas pulcherrimas habebam, venales proposui, summamque inde collectam fæminæ in manus tradidi, dictumq; hoc addidi. Accipe hæc mulier, & bona cum pace abi, virumque è custodia libera, & clementiam numinis ex animo pro me precare, vt mei in extremo illo & decretorio iudicij die misereatur. His auditis Theodulus, gratijs Deo actis rursum columnam ascendit, nec diu superstes cum spe bona ad Dominum emigrauit.

ANNOTATIONES.

1. VIri sanctimonia vitę clari, Dei subinde instinctu, vt modestiores opinor redderentur, ac magis in dies proficerent, petiuerunt à Deo, vti sibi aperiret, quib⁹ pares futuri essent præmijs in beatorum sedibus. Obsecutus plerumque Deus illorũ volun

voluntati, thesaurum illis suum occultum reclusit, & aliorum virtutes, ad quas Anachoretæ nondum aspirauerant ostendit. Ita S. Pafnutio componitur Symphoniacus, & negotiator, vt est in patrum vitis: S. Antonio Alexandrinus anteponitur coriarius: & S. piterio Anachoretæ virgo sacra, quæ amentiam simulabat. Eremitæ S. Gregorius, P. Maximus.

cap. 4. Sent. Pp. c. 58. Doctr. Pp. c. 128. lib. 2 c. Vit. Vitæ S. Greg.

2. Mimi infame quondã hominũ genus, in quos Tertulliani, Cypriani & aliorum extant reprehensiones. Sunt nonnulli ex ijs diuino prorsus modo ad fidem traducti, qui & sanguinem pro Christo profuderunt, quos inter celebratus ille est Genesius, qui Romæ Christo in theatro cum illudere vellet, subito mutatus pro eodem oppetijt. Ardalion seu Ardelio, Dioscorus, Gelasinus in Chronico siculo. Olimp. 269. Dioclet. XI. Gaianus apud Io. Moschum Euiratum prato spir. c. 47.

2. 25. Aug. 14. April. D. Augustin⁹ epist. 67. ad Alipium.

3. Huius generis historias de eleemosynis memorandas collegit Iulius Fulcus, lib. de eleemosyna, Leichthius in Exemplis Hospitalitatis. Præter illas tamen omnes referam ex M. S. codice Hamartoli seu Logothetæ Græci nondum translati, nec editi, non dissimulandum factum, quod fere cum Troili Episcopi historiâ alio tamen euentu conuenit.

Bib. Ser. Max. & Augusti Reip.

Constantino Heraclij filio imperante, vir quidã pecuniosus Constantinopoli, in morbum incidit, mortemque formidans in pauperes triginta auri libras distribuit, conualescit subito, & pecuniæ expensæ pœnitentiâ, haud dubiè dœmone impulsore, ductus, rem cum sincero quodam & recto amico, eoque locuplete communicat: qui ad amicum: repelle, inquit, mi homo, hanc impiam cogitationem, nec te pœniteat eleemosynæ in egen-

3000. philip

tes

tes distributæ, ne Deum qui tui misertus, te sanitati restituit tuæ, grauiter offendas, fatoque infausto & subita morte repente opprimaris, atque sine pœnitentia decedas. Sed frustra: Consilium enim amici fidum omnino reijcit. Tum amicus; Quando ea, quæ salutaria suasi, non admittis, aliud suggeram tibi. Et ille, quid suades? Et amicus verè misericors: Age, inquit, huc mecum ad templum adi, & ibi profitere: (Domine, non ego, sed iste dedit eleemosynam) & ego tibi statim triginta auri libras denuo annumerabo. Placet hoc consilium auaro: ad templum venitur, verba concepta pronunciantur, aurum ab amico, infelici illi in manus traditur, receptâ pecuniâ, dum pedem ex templo effert, subito mortuus concidit, omnibus qui præsentes aderant, ingenti horrore & pauore correptis, qui iustum iudicem laudabant & celebrabant. Cum autem qui aderant clerici monerent amicũ, vt suam ipse sibi pecuniã sumeret: Absit, inquit, hoc factum à me, imò cogitatio impia vt ego Deo deuotum aurum, & cœlo iam inscriptum recipiam. Domini est, nullũ mihi in id amplius ius aut potestas, quod Ananias & Saphira immemores de suo iam Deo dedicato suffurati, pœnas subita morte, quemadmodum & iste persoluerunt. Deus enim non irridetur. His illius dictis ab omnibus mirificè comprobatis, aurum pauperibus est diuisum. Feliciori euentu Petrus Vellius aurum distribuit, vti narrat his verbis Turselinus in vita Francisci Xauerij lib. 5. c. 3.

Petri Vellij egregia liberalitas.

Inde Machaum, emporium Sinarum sanè celebre, delatus est. Ibi cum puellam offendisset, cuius pudorem impia prodebat, pecuniam corrogare cœpit, vnde ei dotem conficeret. Venit igitur ad Petrum Vellium, veterem familiarem, eundemq; institorem satis pecuniosum

niosum. Offendit hominem latrunculis ludentem domi alienæ. Re breuiter expositâ, aurum ab eo mutuum petit, centuplicato fœnore reddendum in cælo. Ille, intempestiuo Xauerij interuentu nonnihil offensus, negare illud esse tempus accipiendi quod peteret; se domo suæ abesse, vbi aurum haberet. Instare comiter Franciscus, mortali semper esse tempus rectè faciendi. Itaque ille, hac voce motus, clauem illi (vt erat domesticarum eius rerum satis gnarus) arcæ nummariæ tradit, auferre iubens quantum vellet. Xauerius, trecentis nummis aureis ex arca depromptis, Petro reddidit clauem, quantum auri abstulisset renuncians. Tum ille, Errasti, inquit, Pater, tuusq; pudor mihi iniuriam fecit; vtique multo minus sumpsisti quam volebam. Namque arcæ clauem tradens, dimidiam auri partem tradebam tibi. Inerant nummorum aureorum XXX. millia: hunc summā inter nos ex æquo diuisam oportuit, at tu quotā inde particulam tibi sumpsisti? Sensit Frāciscus Vellium sincerè & ex animo locutum; eáque verba non comitatis esse magis quàm veritatis. Itaque admirans, Macte vir liberalitate esto, Velli, inquit, grata et accepta Deo est egregia voluntas tua, haud dubijs testata factis. Proinde eius ego tibi verbis polliceor, nunquā Deum tibi defuturū. Insuper hoc daturum esse, vt supremum vitæ diem ipso pranunciante cognoscas. Nec Franciscum Deus, nec Vellium Franciscus fefellit. Vellius quippe ex eo alius vir extitit: adeò se benignitati addixit pietatiq;. Post aliquot annos diuinitus de instante decessu præmonitus, colligere sarcinulas cœpit. Igitur compositis rebus domesticis, req; familiari magna ex parte in pauperes diuisa, adhuc valens vigensq; ad vltimum illud discrimen comparare se. Aderat iam supremus vitæ dies, cùm ille ad sacram profectus ædem, Parochum perpulit, vt pro Petro Vellio piaculare sacrum

(quod à defunctis nomen habet) solenni ritu faceret; cui ipse interfuit, se iam numerans in mortuis. Inde singulos amicorum conuenit; eosq; valere iubet, peregre abiturus. Scitantibus quò tandem iter intenderet, respondet, In cælum. At illi iocari hominem cæteroquin facetum ac lepidum rebantur. Cæterùm posteaquā ille omni asseueratione in cælum ire se perseuerabat; ægritudinem animi insaniam interpretabantur: vtique vbi fama ad eos pertulit, Petrum Vellium, animo solennibus mysterijs rite procurato, tectis inclusum, præstolari mortis aduentum. Ergo domum eius frequentes coëunt, pro se quisq; eum à tristi illa cogitatione abducere conantur. At ille, vultu gaudium præferens, satis ostendit, nullam subesse animi ægritudinem; & simul Xauerij prædictionem, eiusq; euentum, amicis lætabundus exponit. Ad vltimum de tota re edoctos rogat, vt Petri Vellij mox obituri funus, eodem ipso die prosequantur. Atque ita prorsus euênit. Affecta iam iam ætate hominem repentina mors abstulit: eodemq; die funere elatum amici ad templum prosecuti sunt, quà Vellij decessu, quà Xauerij prædictione, attonti stupentésq;

S. IOANNES EPISCOPVS COLONIÆ IN ARMENIA, postea solitarius.

QVarto Imperii anno religiosissimi Imperatoris Marciani, hic diuinus pater in lucem primum Nicopoli Armeniæ est editus. Literis sacris eruditus, parentibus vitâ functis ex patrimonio pauperibus impertito,

pertito, templum sanctissimæ Dei genitrici condidit, in quo cum denis viris religiosis ipse vitam ab hominum turbis semotam traduxit. Ergo vitę sanctimoniâ illius passim celebratâ, Episcopus Coloniæ (Armeniæ) creatur. Administrato verò per nouennium pontificatu, rebusque Ecclesiæ sacris pro arbitratu suo rite compositis, longo maris spacio traiecto, Hierosolyma petit, sacrisq; monumẽtis pia veneratione cultis, in S. Sabæ Lauram se confert, quem Sabas vt ignotum (sic enim Deo visum) ad se accedentem in peregrinorũ hospitio, & culinæ operâ, virtutis eius explorandæ causa, occupauit. Vbi autem in vtroque loco supra spem & expectatiouem sese gesserat, in cella quadam solitaria quinque iussit diebus absque cibi potionisq; vsu consistere: Die sabbati verò & Dominicâ ad sacram communionem voluit adesse, cumque alijs & psallere, & cibum sumere. Quod cum S. Sabas animaduerteret, illum in rebus diuinis, tantos progressus facere, adductum ad sanctissimum Patriarcham Eliam, voluit sacro sacerdotii honore condecorari. Venerandus porro Ioannes: Da, inquit, Domine, vti prius in cognitionem peccatorum meorum, vti decet, venias, deinde

id quod videbitur, facias. Ergo ſeceſſu facto, ſtatim vir ſanctus ſe ad pedes Eliæ abiecit, exacto iureiurando, ne quid de ea re euulgaret. Promiſit ille, vt qui putaret ſe facinus aliquod immane auditurum. Sed vbi audiuit ab eo: Ego Epiſcopus Coloniæ fui: attonitus admiratione Elias ad beatum Sabam conuerſus: ne, inquit, huic ſacerdotii causâ ſis moleſtus: Ioannes enim presbyter nõ fiet. Hic olim ex itineris moleſtiâ defectus animo, cum precatus eſſet, ſublimis per aërem raptus ſeſe in ſua depoſitum cella reperit, cum ab ea quinque millia paſſuum abfuiſſet. Perſæ cum anachoretarum domicilia euertiſſent, atque ad huius S. quoque ædiculam euertendam adeſſent, repente, præter omnium expectationem, leo comparuit, qui barbaros perſecutus, caſam Ioannis incolumem ſeruauit. Conuenit illum Catholicus quidam, hæretico ſecum adducto, petiuitque vt ambobus benè precaretur. Hic (cum neutrum ante vidiſſet) tibi quidem (inquit ad Catholicum) vt pio & fideli ſalutem impertior; huic autem nequaquam, niſi à praua Seueri hæreſi deſiſtat. His pius ille & Catholicus auditis, perculſus ſtupore ob viri ſancti occultam rerum cognitionem, Hæreti-

cus

cus autem attonitus, ac repente, velut alius ex alio factus, tandē ad se rediit, viriq; sancti vestigia complexus, quid sibi faciendum esset, rogauit. Ille à terra leuatum religione vera instituit, iussitque damnatis omnibus, quibus laborabat, vna cum Seueriana, sectis ad Catholicam accedere Ecclesiam, libereque, vt diximus, eiurare ac damnare cum reliquis sectis omnibus hæresin Seuerianam, tum ei se benè precaturum, pro eoq; deprecaturum. Fecit ille hæc omnia: Vtrūq; ergo rursum Ioannes salutari comprecatione impertiuit, sanctoq; osculo salutatos domum gratulantes dimisit. Hæc cum ex agnatis fœmina de illo audisset, eius videndi desiderio incensa, mutata veste statuit ad eum proficisci, vt ignota eius frui conspectu posset. Enimuero beatus ille, iam quid futurum esset, diuinitus edoctus, illi renunciari iussit in hæc verba: Si non veneris huc, videbis me, & intelliges ex me, quæ mihi Deus de te aperuit. Nec ita multo post, per nocturnam illi quietem in somno visus, omnia, quæ scire prius ex eo desiderarat, exposuit. Interrogauit illa & de alia, pariterque quod quæsierat, pro desiderio didicit, quæ magnas super his gratias egit. Tum se ab oculis illius subduxit. Hic

olim arido saxo aridum fici ramum defixit, fratribusque compellatis: vbi hic, inquit, floruerit, scitote me, Dei clementia, beata quiete potiturum, germinauit ficus, fructusque, trigeminas caricas protulit, quas cum lacrymis beatus acceptas, osculatus est, Deoque gratiis actis cum fratribus comedit. Octauo & vigesimo ætatis anno creatus Episcopus decennium in ea functione posuit. Rubæ verò annos sex; in Laura duodecim, in solitudine quadraginta octo versatus est, ita vt ad annum vitæ quartum supra centesimum peruenerit, vltimâ ergo senecta fessus obdormiuit in Domino.

ANNOTATIONES.

** Ita lege in Concilio Oecū VIII. ad oram. Narcissus enim Hierosolymitanus Episcopus.*

IDem factitasse legitur patriarcha *Hierosolymitanus Narcissus, quem numerant XXX. qui relicto clam throno, quem annis XII. administrarat, in loca prorsus ignota & deserta secessit. Secundumq; illum patriarcha creatus est Dius, post Dium Germanus, post Germanum Gordius, quo ad gubernacula Ecclesiæ sedente, rursum apparuit Narcissus, qui Gordio quoque mortuo superstes Alexandrum postea martyrem successorem sibi legit. Act. 9. Concil. Oecum. VIII. Idem fecit Ioannes Chuzubita Cæsareæ pontifex, de quo supra. Idē narrat Io. Euiratus in suo Limonario de quodā sanctissimo Episcopo c. 37. Itēq; alio c. 93. Prorsus illustria sunt S. Paulini Nolani antistitis, & Mauri-

tii

eii Andegauensis, de quo Vincentius lib. 13. c. 15. De Archiepiscopis & Episcopis, qui ad religionem & Monachos transierunt, scribit Arnoldus Wion. Lege apud Cæsarium lib. 2. c. 29. & 28.

DE IVVENE QVODAM MARTYRE.

BEatus hic Martyr & testis Christi, floréti ætate, patriâ Aegyptius erat, in castro Tenestino, Christianis parentibus natus, sacroque fonte tinctus, & in inculpatâ Christianæ fidei disciplina eductus, sed per animi inconstantiam ab hoste generis humani circumuentus, ad Amiranum Saracenorum principem se cõtulit, vbi eierato Christo, cingulóque rupto, crucem pedibus conculcauit, gladioque districto ingeminauit lamentabilem illam vocem: Agarenus, non Christianus sum iam ex hoc tempore. Et erat aliquo numero & honore aliquandiu apud Amiranum, & palatinos eius, nec quicquam de salute sua solicitus. Sed parentes eius, vt filius in viam reduceretur, assiduè numen precibus fatigabant, quorum Deus cum piam mentem, & constantes preces aspiceret, animum iuuenis immutauit. Venit ergo ad parentes, &: Ecce, inquit, Domini mei, dulcissimique parentes,

rentes, offusis menti tenebris feci, quod feci. Nunc verò & fuisse Christianus, & esse etiam atque etiam vobiscum cupio. Et parentes: nos, inquiunt, fili, quando omninò hoc à te factum est, magnam vim lacrymarum profudimus, nec à precibus vnquam destitimus, quoad agnoscceres veritatem, & ad Deum reuerterere. Et nũc ergo debitas illius clementiæ grates persoluimus, quod infimas preces nostras non contemserit. Sed quemadmodum túte nosti fili, verendũ nobis est, ne, quasi te ab ea mente deduxerimus, nos tua causa in discrimen capitis veniamus. Sed si decresti ingens hoc abs te commissum piaculum delere, numenque propitiare, & nos extra periculi aleam constituere, ac pro tua stirpe tota patronum apud Deum agere, abi ad Amiranum, & vti antea temerè feciſti, quod feciſti, ita rursum, quasi nobis insciis, te Christianũ profitere. Deus, fili, conatus tuos pro sua voluntate prosperabit. Instructus ergo filius consilio, votisque simul parentum, manu cingulum gestans, ad Agarenorum conuẽtum properauit, ibique spectante Amirano, & vniuerso cætu se accinxit, efformatamque ex ligno crucem complexus salutauit, clamauitq; quanta maxima potuit voce:

ce: κύριε ἐλέησον. Amiranus mox comprehensum interrogat: quid enim factum tibi? & iuuenis: Ex tartareis, inquit, ereptus tenebris Christo supplex factus, ad me redii, atque vt antea fui, Christianum me denuo profiteor. Idque vt tibi tuisque coram omnibus testatum facerem, Christumque confiterer, & vestram superstitionem damnarem, veni. His Amiranus, auditis, eum triduo in vinculis sine vllo cibo potioneq; custodiri mandauit. Dein eductum rursum ad tribunal stitit, & constantem cædi moderatè præcepit, cæsumq; in carcerem retrudi. Post triduum, reductum atque in sententia professioneque Christi perseuerantem acerbè diuerberari iussit, denuoq; custodia coërceri, ac post diem tertium adhuc palã in Christi prædicatione persistentem, taureis, à superiore corporis parte, turgentibus sanguine plagis, cecidit, pronunciatâque in illum capitis sententiâ, satellites in nauem imposuerunt, & quasi quaterna progressi stadia, post fusas ab eo ad Deum preces, caput ei præciderunt. Et truncus quidem corporis, an à mari fuerit eiectus, incertum est, veneranda ceruix autem emersa, & à Christianis quibusdam cognita, veluti nobilis quidam thesaurus

est acceptus, qui ea de re apud Amiranum postulati, centum aureis sese caputque redemerunt, quibus exinde eius seruandi libera potestas facta, quod argentea condidere arcâ, meritoque honore & cultu celebrauere. Vnde & hodie fragrans sudat oleum, omnisque generis curat morbos ad Domini nostri Iesu Christi gloriam, & religionis Catholicæ testatissimã fidem, eorũq; qui super ipsius exemplo prius offensi erant ac defecerant, recuperãdam salutem.

ANNOTATIONES.

DE Saracenis seu Agarenis ab Agare ancilla Abrahami patriarchæ natis, deq; eorum institutis, fusè præter alios Nicephorus lib. 7. cap. 14. Et noster Pererius ad XVI. CAP. GENES. Vide auctores qui scribunt de Orig. Turcarum. alij à Sarak Arabico deriuant Saracenos.

33. Decem

ARSENIVS IN LATRO.

SAnctus hic noster pater, & miraculorũ effector Arsenius Cõstantinopolitanus erat patria, parentibus Christianis, & religiosis, copiosisque & primariis ortus. Accessit ad illustrissimi generis claritudinem, ac pietatis laudem singularem, etiam alia dignitas, qua ab Imperatore est auctus.

Magnus

Magnus enim dux & patricius Cibyrrhæotarum exercitus est creatus. Sed cum olim classis in mare iussu principis expediretur, illiq; Arsenius præesset, exorta ab imis pōti vadis atrocissima tempestate, tota classis fluctibus hausta periit, solo Arsenio in terram emerso. Parta hinc securitate, quam diu multumq; ingenti desiderio exoptarat monachum induit, corpusque afflictando sub ratiouis ditionem redegit. Porro inter exercitamenta adhibebat ieiunium, peruigilia, humicubationes,& si quid aliud esset, quod corpori esset molestum. Ad hæc ferro corpus onerabat, qui sanè chalybe & adamante durior ac firmior erat. Atqui immensum lacrymarum pelagus,peruigilesq; noctium totarum stationes,improbissimorum dæmonum insultus, frigorisq; & nuditatis tolerantiam, nemo, vti nec arenā, possit enumerando percensere. Ita præclarè beatus hic belligerans, in locum Hiero obiectum à spiritu sancto mittitur, vbi generosus iste seminauit in lacrymis,locumq; illum planctus sedem declarauit, in quo in exultatione metere cœpit. Vestis erat illi setis cilicinis horrenda,quę reliquam â ferro & catenis vacuam corporis partem attriuit, Pascebatur agrestibus herbis, quas rectius

χαμευνίας.

Nomen mōtis aut portus est Georgio Alexādrino in Vita D. Chrysost. ad Bosphorū Thracium. Ar-

Arriano, Apollonio, Xenophõti mons sacer ad portum Euxinum.

ctius quis retrimenta quam alimenta dicat, neque ipsius herbis ad sacietatem pascebatur, sed gustare duntaxat videbatur. Aquæ modum quoque permodicum adhibebat, ita vt infra biduum triduúmue vix semel sitim sedaret. Deinde Latrum montẽ illum admiratione deprędicandũ habitauit, ibiq; res admiratione dignas admirãdus ille perperrauit. Aspidem enim grassantem, & aquas venenantẽ, sola precatione, & crucis forma subito necauit. Deinde impulsu numinis in Celliborum transgressus cœnobium, breui tempore præfecturã monasterii gessit, multisque ad virtutem incitamento fuit. Postea Lauram reuersus, ad optatam quietem recurrit neglectus, vexatusque & afflictus. Ingressus caueam feris infestam seipsum exposuit, ac cum feris securus & intrepidus, non secus ac Daniel quondam, inter leones habitauit. Expurgatum à feris antrum, animorum domicilium, & quasi officinam instituit, fratrumq; rogatu Lauram rediit, non in commune tamen vixit, sed solus soli Deo addictus in angustissimo quodam ergastulo seipsum inclusit, totaq; hebdomade, neque cum vllo sermonem miscuit, nec cibi quicquam gustauit, præter diem dominicum, quo mos huic sancto

λάτρον mõs Anachoretis frequens.

fuit

fuit vtrumq; facere, ſermocinari, inquam, & cœnare. Aquarum amarorem virgâ in dulcedinem vertit. Eò verò perfectionis, extinctis prope ſenſibus deuenit, vti nullo terreſtri paſtu indigeret, ſed angelorum pane, & immortali ambroſiâ paſceretur. Hæc dum agit, & ſtudet, vitâ cum prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, iuſtitiâ, peractâ, cum ad cœleſtem vitam euocaretur, accerſitis, vndique religioſis, de rerum humanarum contemtione, de patientiâ, & fraterna ſanctaque charitate, de animi ſubmiſſione, de precatione multa docendo prolocutus, apertè flexo genu, lacrimis oculos perfuſus, ſanctam animam in intemeretas Dei manus edidit, multaque poſt mortem miracula deſignauit. Virum enim quempiam ex inſania tumulum eius, effodere aggreſſum, membrorumque ob id facinus * ſtupore merito percuſſum, ad ſe tandem reuerſum, & ad tumbam ipſius ſancti ſcelus deprecantem fratrum precibus incolumitati reſtituit. Monach⁹ aquâ intercute grauiſſimè preſſus, aduolutus tumulo ſanitatẽ precibus ſubito recepit, Deoque gratias egit, ac laudibus celebrauit, qui ita ſanctos ſuos colit Dominus, ac ſolus Deus verus animarum noſtrarum ſalus.

* *Gemina his leges apud Ioan. Moſchum Euratũ. c. 77. & 78.*

ANNO-

ANNOTATIO.

NOn est hic notus ille Arsenius Arcadii & Honorii magister, quo de Latini XIIII. Cal. Augusti, & Græci VIII. Idus Maii in sanctorum fastis agunt. Hinc ad discrimen illius, hic Arsenius in Latro nominatur.

27. Decēb. S. SVSANNA QVÆ ET IOANNES.

HÆc Maximiani Imperio vixit, ex Palæstina, patre Idololatra, matre Iudæa oriunda, quorum impietatem amborum detestata ad Christum confugit, sacroque baptismatis fonte à Siluano Episcopo lustrata, parentibus morti concedentibus, opes omnes in pauperes effudit, seruosque & seruas omnes manu misit. Ipsa virili veste sumta, ad venerandum quendam patrem se contulit, rasaque in monachum Ioannes est indigitata. Vbi cum vicesimum ipsum annum peregisset, calumniā est passa. Monacha quædam ventitare ad cœnobium solebat, visamq; illam putabat virū esse, atq; ad lasciuiam solicitabat: repulsam passa à Ioanne, cœpit illam criminari, perinde quasi vim sibi inferre esset conata: Susanna seu Ioannes crimen non refutauit, sed quasi rea se ad satisfaciendum pro illius voluntate para-

paratam ostendit. Quod cum Episcopus Eleutheropolitanus intellexisset, quid inquam, in monasterio designatum diceretur, Prępositum vehementer corripuit; qui sacra illam veste monachi exuere decreuit. Hic Susanna inter angustias deprehensa, petiuit vt binæ virgines, binæq; diaconissæ fæminæ vocarentur; quibus se quæ esset aperuit. qua re attonitus Episcopus Susannam quoque Diaconissam creauit, cæterisque præesse voluit. Multa verò memorandaque miracula hæc patrauit. Prætor Alexander, cum Eleutheropolim venisset, & Idolis adoleret, hæc sua sponte accessit, & solis precibus simulacra in terram deiecit, qua de re postulata, prætori sistitur, papillisque multatur, sed diuinitus curatam cum carnifices ipsi viderent, Christo nomina dedere, capitisque supplicium pertulêre. Sed beata Susanna plumbum igne liquatum, perque canalem in os iufusum per intestina, sine vlla corporis offensa effudit. Virgis cæsa, & rogo imposita DEO spiritum commendauit.

ANNOTATIVNCVLA.

DE fæminis viros cultu simulantibus supra ad Sanctæ Apollinaris, fusè actum. Huius quoque

que vita in menologio 20. Septembris describitur, quo die Martyrol. Rom. eamdem commemorat.

18. Decab. # DE S. MODESTO ARCHIEPISCOPO SEV PATRIARCHA HIEROSOLYMORVM.

CAtholicis parentibus hic natus Sebastæ, patre Eusebio, matre Theodula, quæ non pariebat, precibus amborum datus est hic filius, (eximius postea pater,) à Deo, post quadragesimum initi matrimonii annum. Nato verò istoc, pater accusatus est apud Maximianum, quod Christum profiteretur, comprehensusque in custodiam datus. Quod cum Theodula intellexisset, & illa pariter cum filio ad carcerem properauit, In quo ambo Dominum precati, in manus angelorũ animas in pace ediderunt, martyres iam voto effecti, quos carceris custodes cum defunctos reperissent, puerum inter mortuos viuum iacentem, ad Maximianum detulerunt, quintum mensem primum agentem, quem vt liberalem & amabilẽ Imperator vidit, cuidam ex ordine senatorio magnâ cura educandum commisit, vt qui dignus videretur, quem

quem Iupiter amaret. Eductus ergo beatus Modestus ab hoc, cum audisset, quibus esset parentibus natus, & quo pacto Christi causâ mortem oppetiissent, tredecennis incidit in ludimoderatorem quendã Christianum, à quo Christianam edoctus pietatem, totum se illi emancipauit. Aegrè verò patiebatur se apud Idolorum cultores versari. Maximiano porro sacrificium publicum promulgante, ille ad parentum monumenta precatus, magno illos affectu rogauit, vti ex Idololatrarum potestate eriperetur, sacraque baptismatis vndâ signaretur. Offendit ergo illũ argentarius quispiam Athenas profecturus, qui adscitum secum deduxit, multa in itinere mira perpetrantem, eumque ibi pontifici commẽdatum erudiri, sacrisque Christianis initiari curauit, qui columnam è cœlo flam̃eam supra verticem iam baptizandi vidit descẽdere atq; consistere. Secundum baptisma Argentarii sororem fatali morbo correptã, solo contactu, & precibus integritati subitò restituit. A dæmone agitatum alium liberauit. Argentario tandem & vxore eius diem suum obeuntibus, hæres testamento, vnà cum filiis scriptus, suam sortem filiis totam reliquit, locáque ab hominum stre-

pitu remota petiuit, & religiosam exercere vitam instituit. Sed argentarii illius liberi, cum viderent eum passim in hominum admiratione & veneratione versari, id per inuidiam ferre haud potuere. Mercatus ergo causâ, instituta profectione beatum illum induxerunt, vt se comitem itineris præberet. In Aegyptum profecti, illic illum velut mancipium Dæmonolatræ cuidam vendidêre, à quo innumera mala toto septennio pertulit, quem tamen solis ad Deum precibus ab errore tandem liberauit, & vt cœlesti fonte signaretur effecit, grauiterque decumbentem diuinitus curauit. Post cuius postea mortem, ad Domini sepulchrum, quod vitam continuit, properauit. Deinde ad Sinai rupem se contulit, Deoque deuotus multis ibi miraculis claruit. Postremò defuncto patriarcha Hierosolymitano B. Modestus, numinis aperta designatione, cum annum ageret nonum supra quinquagesimum, Pontifex declaratur. Nec minus hic paucis miraculis effulsit: Nam ciui cuidam Hierosolymitano copiosa armenta conciderant, fonte per insidias dęmonis à serpente venenato, ex quo pecus bibere consueuerat, ad quem sanctus cum staret, & pecora curauit, & serpentem neca-

necauit, dæmonem astantibus in canis specie visendum exhibuit, testatoque tremendo Dei nomine Dæmonem adiurauit, vt eo nunquam accederet, vbi Dei nomen esset inuocatum. Insuper & argẽtarii filios Hierosolyma negotiandi causâ venientes, eos, inquã, à quibus in Ægypto erat diuenditus, cum ignorarẽt eum Hierosolymis Archiepiscopum creatum, non modo non vltum iuit, sed amantissimè salutatos, humanissime excepit, lautissiméque tractauit. Hanc beatus vitam vixit, octoq; & triginta annis pontificatum administrauit, ita vt ad septimum & nonagesimum annum ætatis perueniret: ac demum ad beatorum sedes emigrauit.

En alterũ Iosippum.

ANNOTATIONES.

IN Chronico Nicephori Græco ponitur LXI. Theophães MS. sub Heraclio, año XXII. & XXIII. Hierosol. prę fuisse scribit. Euseb. l. 4. c. 9. de alio loquitur in Antonino Pio. Photi⁹. num. 75. de Hierosol. Archiepiscopo agit, an de hoc nescio, nõ arbitror. Sanè quis hic fuerit mihi nõ nisi ex Menęis liquet.

22. Decẽb

S. ANATASIA *MEDICATRIX COGNOMINATA.

* *non incãtatrix, vt quidam. non enim est in Græco* φαρμακεύτρια, *sed* φαρμακολύτρια.

ANastasia, imperante Diocletiano Romæ vixit, amplissimi cuiusdam ethnici

filia, mater Fausta ei erat, à qua ad Chrysogonum virum religiosum, & pium adducta, literis sacris est erudita. Fidem tamen in Christum à matre accepit. Nupta viro à Christi religione alieno Publio, à quo tamen abhorruit, lectiq́ue consuetudinem, morbo simulato, declinauit, nec vnquam cum illo copulari voluit; cultum adhibuit modestum ac tenuem, fœminis egentibus familiarissimam semper se exhibuit. Clam Christi athletas in vinculis curabat, sordes abluebat, vulnera oleo fouebat, saniem expressam abstergebat, alimenta suppeditabat, vnicaq́ue ancilla pedisequa contenta erat. Ac primum à viro cum hæc resciisset, custodiebatur. Dein marito tempestatis fluctibus in mari oppresso, secura metus, opes suas pauperibus elargita, deinceps liberius martyrum curæ inuigilauit, occisosq́ue extulit, & honesta sepultura tumulauit, multosq́ue ad martyrii certamen cohortata, à multis prætoribus ad cædem est quæsita, & cũ aliis mulieribus in mare præcipitata, postremo palis alligata atq; in rogum coniecta martyrii lauream induit. Celebratur illius memoria in templo illius ad Dominini rostra sito.

En cur Φαρμακολύτρια dicta.

ANNOTATIO.

Nobi-

NObilissima hæc Anastasia celebratur ab omnibus. Vita eius MS. habetur cum Anastasii Biblioth. præfatione. Extant eiusdem epistolæ ad Chrysogonum in Suida & Nicephoro. vide Lipomann, & Surium, & C. Baronium.

S. PAVLVS HOMOLOGETES, ARCHIEPISCOPVS NEOCÆSAREÆ VNVS ex CCCXVI. Patribus.

23. Decēb

SAnctus hic noster pater Paulus vitutib⁹ adeo insignis & clarus fuit, vt eius rei fama Licinii Nicomediæ imperitantis aures verberaret. Atque cum illum, ij qui ad eum comprehendendū missi erant, ad Licinii tribunal adstitissent, primum minis terrere, necquicquam sanctum aggressi, dein etiam tormentis tentarunt. Vt autem eum cędere cœperunt, omnes ob summam eius patientiam in stuporem dati sunt. Cumque ærarius, ferri *laminam igniisset, eam in sancti viri manus imposuit, alteramq; supra manum collocauit, easque constrictas colligauit, dum ferrum refrigesceret. Vnde factum vt articulorum nerui contorti, sensum omnem & vsum amitterent. Tum in exilium eiectum, ad Euphratis oras ergastulo incluserunt. Sed vbi Constantinus Magnus Bizantium ex vrbe venit, omnes

* artoptā.

ab exilio reuocati custodiisq; educti sedes suas receperunt Tum & hic carcere liberatus ad thronum suum rediit, in quo velut sidus, vt antea refulsit. Conuenit autem & hic cum illis trecentis decem & octo patribus ad primam Synodum Nicænam.

Cumque omnes vestigia Christi in corpore suo portarent, & in his viderentur, ostenderentque inter se, alius manum precisam, alius aures, alius nares, oculos alius, alius aliam corporis auulsam partem: Hi taurearum calla, aut virgarum cicatrices, illi comminuta ossa, aut corpora igne vstulata; quæ omnia Christi causa pertulêre. Tum & noster hic B Paulus haud expers quondam dolorum spectabatur. Gerebat enim virgarum labes, manusque ferro ambustas, & ad vsum prorsus inutiles. Postquam igitur Arii causa, in concilium conuenêre, Arium diuino planè suffragio exauctorarunt, & anathematis fulmine perculerunt, & cum Imperatore Bizantium profecti sunt. Imperator verò suis ipse manibus huius B. Pauli complexus manus, & osculatus, easdem etiam oculis eius, & cæteris corporis partibus imposuit, simulque in hanc vocem erupit. Has manus propter Christum emortuas & immotas exoscu-

lando

lando nunquam satior. Ita recepto throno suo, cum B. aliquamdiu supervixisset ad Dominum profectus est.

ANNOTATIONES.

SVmmi quique Græcorum patrum hunc laudãt Athletam Christi, & pontificem: Theodoretus Ecclesiast. hist. l. 1. c. 7. Gregorius Presbyter. Orat. de patribus Concilii Nicæni. Nicephorus lib. 8. c. 14. Et Baronius Annal. 3. A.C. 316.

De notis, quas Christi vestigia appellant, iidem memorant.

DE SANCTO NICOLAO, EX MILITE MONACHO.

HIC Nicephori imperio, conditione miles erat. Imperatore ergo expeditionem in Bulgaros adornante, & hic cum exercitu est profectus, ac circa solis occasum in cauponam publicã diuertit, & cum hospite cœnauit. Fusis (post cœnam de more) precibus, se ad somnum composuit, circaque secundam aut tertiam noctis vigiliam cauponis filia, telo cupidinis saucia, virum iustum pungere, & ad stuprum solicitare cœpit. Sed vir sanctus ad eam: Apage, inquit, mulier, cum nefariis & tartareis tuis amoribus, nec virginitatis tuæ florem

corrumpe, nec me infelicem inquina, ne ambo in orci chaos præcipites agamur. Receſſit ad momentum illa, & mox denuo moleſta viro optimo fuit, quam ille grauiter increpitam à ſe amandauit. Sed percita amoris œſtro rebitauit ad eundem. Tum ſanctus: infelix, inquit, & effrons impudensque lamia, omnis oblita pudoris, ac cooperta flagitiis, non vides te à cacodæmonibus agitari impelliqúe, vt animam in exitium trahant tuam, virginitatem corrumpant, ac te omnibus, totiqúe tuæ familiæ ludibrio, dedecoriqúe & contumeliæ proſtituant? Non intelligis & me poſtremiſſimum, nunc ad gentem barbaram, belliqúe turbinem, Dei præſidio fretum, properare? & quomodo corpus inquinabo ad arma abiturus? Hæc & his plura cum dixiſſet, illam abegit, cubituque ſurgens votis perſolutis, viam eſt ingreſſus, ſequentiqúe nocte conſopitus, videt ſe ad amæna quædam tempe deductum, iuxtaque ſe principem quendam, pede dextro ſupra ſiniſtrũ impoſito, conſidentem, à quo in hæc verba compellabatur. Vides vtriusque patris exercitus? Næ ego, inquit, video Domine, Bulgaros à Romanis cædi. Et is qui apparuerat ad iuſtum. Ad nos, inquit, reſpice:

Spe-

Spectansque videt ab illo dextrum pedem in terram demitti, finistrumque dextro imponi. Quo facto, respicit bonus rursus castra, cernitque Romanos ab hostibus atrociter mactari. Et cum tabernacula euersa essent, ille residens ad militem dixit: Perpende mihi diligenter tentoriorum demolitionem, & expone quid id sibi velit. Et cum oculis omnia obiisset, vidit totam illã terram cadaueribus oppletam, & in medio virentem vnius lectuli campum. Et domine, inquit, vniuersa terra cæsis Romanorũ corporibus oppleta est, præter vnicum lectulum. Et is qui spectandum se terribilem militi obtulerat: Quid, inquit, hoc esse existimas? Et miles: Ego Domine idiota sum, necquid hoc sibi velit, intelligo. Et formidandus ille rursum: Vacuus ille campus qui vnius lectuli occupat spacium tuus est, in quo tibi oppetendum erat cum reliquo milite tuo, vt quod desiderabatur expleres. Sed quia, præterita nocte, trigeminum serpentem, qui tertio expugnare & mactare te aggressus est, feliciter repulisti, ecce tepsum túte ex hac cæde liberasti, lectulique vestem intemeratam custodisti, & salutem animæ corporiq; tuo peperisti. Hæc cum vidisset, attonitus ac tremebundus exper-

giscitur, cumque surrexisset, se mox in preces dedit, & vnius diei itinere regressus montem conscendit, & pro exercitu Deum deprecatus est. Imperatore, Bulgariæ claustra ingresso, Bulgari ad montem confugêre, paucis, infra quindecim nempe præter propter millibus, relictis, quos & Romani cum deleuissent, stultè rem gesserunt, incautè enim per regionem diffusi, exercitũ cum Imperatore cæsum amisêre, Bulgariq́ue cædis prioris iacturam compensauêre. Tum iustus hic memor nocturnæ visionis, gratiis Deo persolutis, inde flens, gemensq́ue reuersus in cœnobium se contulit, sacraq́ue indutus veste, Deo multis annis toto pectore deseruiit, atque in eximium patrem, rerumq́; religiosarum peritissimum magistrum euasit.

ANNOTATIONES.

DE Nicephori Imperatoris, qui Irenæ successit, in Bulgaros expeditione, clade, nece passim historici Græci: Zonaras in eius vita, Cedrenus, Glycas, Constantinus Manasses; Curopalates ab eius nece suam historiam auspicatur. Zonaras & Cedrenus aiunt ex eius nudato cranio poculum formatum, Bulgarumque proceribus à Crumo propinatum. Nec minus suis inuisus occubuit, quam Bulgaris, quin à domesticis interfectus scribitur

bitur in tabernaculo. Cæterum tam rara in milite castimonia singularem à numine merebatur custodelam. Hæc innocentiæ nempe merces est.

S. CONSTANTINVS EX IVDÆO CHRISTIANVS.

HVic .·. Synnada parria fuit, cuius parentes vmbram legis coluere, nam Iudæi erant religione. Admodum adolescens cum matrem fortè (nescio quò euntem) sequeretur, vidit hominẽ Christianum, qui dum in terræ scrobem quandam prolaberetur, signum crucis ori imprimebat, cuius puer secutus exemplum, & ipse deinceps crucem subinde efformabat, sacraq; tandẽ Christiana amplexus ardenti fide prosecutus est, vnde vultus illi mirum in modum radiare, & ipse diuinitus mysteria religionis edoceri cœpit, multosque dies absque alimento corporis vllo traduxit. Cum puella illum Hebræa (pudoris extorquendi causa) inuaderet, illam signo crucis repente exanimauit, rursumque postea in vitam reuocauit. Nube porro quadam diuina quasi ducente ad animarum curandarum officinam seu cœnobium, quod Phubutium appella-

Synadon.

* *per crucẽ Iudæ quoque seruatus à demonũ incursione & ad Christum conuersus. Greg. lib. 3. cap. 7.*

pellabant, venit, in quo clariſſimorum virorum virtus enitebat, qui diſciplinam vitæ religioſæ excolebant. Hic cum præfecto monaſterii ſtatum vitæ exponeret, iubet ille proferri crucem, & ab eo ſalutari: cuius cum beatus iſte pedem oſculo libaret, tota fronte & bracchiis veneranda crux ſeſe in ſanctum pueri verticem ſubmittens characterem crucis capiti indelebilem impreſſit, quem per omnem poſtea vitam ſeruauit. Dignus ergo baptiſmatis gratiâ iudicatus, ſacris Chriſtianis eſt initiatus, & Conſtantinus dictus. Quo dein loco ex baptiſterio eſt egreſſus, impreſſa pedibus veſtigia reliquit. Exuitur inde ad ſacram palæſtram athleta Chriſti, conaturque omnes vitæ aſperitate ſuperare. S. quoq; Pauli artificium exercet.

Scenopeg⁹.

Quando porro ad Deum preces fudit, totus ille locus gratiſſimi odoris fragantia perfundebatur. Templi fores nullo aperiente, ſponte illi patuêre, fratrum omnium cogitationes, propter ſingularem animi puritatem perſpiciebat. Venit deinde ad Olympum montem, inde in Cyprum, & Ataliam flumen nauigabile pedibus traiecit, multasque alias obiit oras, rediitq; poſtremo ad Olympum. Dies quadragintita totos

tos non ieiunus solum, scrobe etiam vmbilico tenus defossus transegit. Hinc sacerdotis dignitate quamuis multum obnitens est ornatus. In hoc certaminum stadio versatus annis octo, prius quam obiret, vitæ exitum suæ declarauit, quibus tandem elapsis cum prius totius vitæ rationem fratribus exposuisset, ad Dominum euolauit.

ANNOTATIONES.

EXtant multæ illustres historiæ de Iudæis per miracula ad Christum adductis, inter quas est illa de B. Basilij medico, puero Iudæo, apud Cedrenum, post sumtam Eucharistiam in ignem coniecto & seruato. De Andrea Episcopo Fundano. De Paralytico quẽ Attic⁹ p. c. è baptismo saarũ eduxit, Soer. l. 7. c. 4. Theoph. 401. Ego hic ex M. S. Chron. Siculo vnicam referam, pretermissis quę leguntur.

Beatus Leontius Antiochiæ in Syria Pontifex; vir & fide & religione in Christum laudatissimus; acerrimusq; veritatis propugnator, Xenodochia studiosissimè curabat, quibus viros pios, qui peregrinorum curam gererent, præfecit. Fuere inter hos, tres præ cæteris ardentes pietatis cultores, qui negotiorum causa in vicum; ad XVII. milliarium Antiochia distantem (Thracunta nominãt) vna profecti, comitem in itinere Iudæum habuere. Viæ dux inter pios tres erat Eugenius religiosissimus. Ergo dum vnà iter faciunt, Eugenius sermonem orsus aggreditur Iudæum, & de fide in Deum Dei vnicum filium disputat. Iudæo verò omnia [argumenta per ludibrium] eludente, serpentem *Anno* VIII. *Constantini Magni*

pentem in ipsa via mortuum offendunt, & mox Iudæus ad comites: Si, inquit, hunc anguem deuoraueritis, nihilque inde detrimenti ceperitis, Christianum me profitebor. Extemplo igitur arreptum Eugenius colubrum in tres diuellit partes, vnamq; ipse, duas reliqui, spectante Iudæo, absumunt, saluique persistunt. In quibus Euangelicum illud & salutare oraculum expletum est. *Marc. vltimo.* Et in manibus suis serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non illos nocebit. Iudæus cum illis ad Xenodochium reuersus, in eo mansit, Christiq; fidem suscepit.

Cap. 176. prat. spirit. Refert & Ioannes Euiratus, rem lectione dignã de Hebræo adolescente arena primum, deinde aqua baptisato. Socratem adi lib. 7. c. 38. de Iudeis cretenticus.

30. Decẽb.

S. PHILETÆRVS M.

DIocletiano quondã Nicomediam ingresso, de Christiano quodam Philetæro suggestum est, missisque extemplo satellitibus, eum sibi coram sisti imperat. Cuius solo aspectu mox perculsus est Imperator. Erat enim vir sanctus staturâ procerâ, & singulari oris dignitate, comáque & barba non secus ac aurum radiabant, vnde & Deum illum non hominem appellauit. Deinde compellans Imperator age, dic nobis, inquit, quæ tibi patria, quod nomen, quæ studia sunt? Et vir sanctus: patria sum Ἀπάρχου. Nicomediensis, præfecti filius hominis Chri-

Christiani, mihi Philetæro nomen est. Tum propius accersendo, blandiendoque cœpit Imperator maledicta in Christum Iesum Dominum nostrum iacere, cum sanctus statim sublatis in cœlum luminibus, ostruatur, inquit, os, Christo meo maledicentis, repentéque tantopere cœlum intonuit, terraque concussa est, vt Imperator ipse cum toto satellitio suo contremisceret. Subitò ergo in ardentissimum fornacis incendium iactatur, sed precibus igne dissipato, rogoque toto deleto, ipse illæsus exiuit. Quare Imperator rubore suffusus, illum propter generis nobilitatem, vel potius ob ingentia prodigia, quæ ab illo edi viderat, solutum abire quo vellet permisit. Sed Maximiano Nicomediæ postmodum imperante, rursum defertur, adductusque Christum verum Deum, atq; vniuersi conditorem profitetur. Primum ergo dum virgis cæditur, attoniti lictores, & quasi exanimati conciderunt, videbatur enim, Christo eum firmante, velut in alieno corpore torqueri. Suspensus inde adeo laniatur, vti carnificibus idem prope, quod antea lictoribus contigerat, accideret. Feris postea obijcitur, sed bestijs ad pedes illius se prouoluentibus, ad fanum Idolorum adoran-

dorandorum causâ ducitur, quæ precibus mox deiecit. Imperatore demum capitis sententiam pronunciante, vt gladio in illum animaduerteretur, cum apparitor ferrum stringeret, repente manus illi obriguit, alteri mox ensem arripienti, aduersusque sanctũ extendenti idem euenit. Conijcitur in vincula, rursumque torquetur, & catenis oneratur. Tandem Imperator cum videret inuictum illum à sententia dimoueri non posse, in asperam Insulam relegat. In vinculis ergo circumductus, signa per viam non pauca edidit, cum malos dœmonas pelleret, Elephantiacos abstergeret, omniaque morborum, genera curaret. Idola vnico verbo ab alto in terram deripuit, atque in cineres & aquas redegit. Nicææ cũ vinctus fano Idolorũ admoueretur, tactuq; illud contingeret, subito à fundamentis euersum deleuit, per quæ miracula multos Christo adiunxit; inter quos Comes quoq; Christum cum sex militibus est professus. Cum autem ad Sigrianos fines accederent, ibiq; multa item miracula à sancto fierent, incolæ illi & comiti significarunt, proximè inde abesse hominem Christianum, Eubiotum nomine, multa variaq; torméta Christi causa à præside perpessum, non secus ac adaman-

πικρόνησον lego. non πεικόνησον alit. προκόνησον Proconesiũ Menol.

adamantem iunctum ac illæsum perstitisse, qui ingentia passim signa efficiat. Hæc vbi S. Philetærus audiuit, ad visendum illum properauit. Angelus interim Domini, ad B. Eubiotum ingressus, exi, inquit, è cellulâ tuâ, & ades in locum hunc, vbi Philetæro socio martyrij occurras; Egressus ergo extemplo descendit ex Sigriano monte. Philetærus autem, duce quodam itineris regionis incolâ, montem cum comite & sex militibus ad fidem conuersis, & ab illo sacra tinctione ablutis, qui cum Philetæro manere decreuerunt, subibat, paulumque aduerso monte progressi, vident B. Eubiotũ in occursum descendentem, mutuoque consolantes, & ingenti gaudio perfusi, gestientes lætitiâ montem ascenderunt, sanctique Ebioti gurgustium ingressi, septem ibi dies morati sunt, cum somno, quem optarat S. Philæterus, beato consopitur, atque ad desideratum Christum suum euolauit, quem in suo domicilio B. Eubiotus tumulauit. pariterque & comes, & sex illi satellites vndecimo post die, quam ad S. virum venerant, obierunt, propter S. virum siti.

ANNOTATIONES.

MEnologium huius continet acta 19. Maij, vbi filius Patiani proconsulis dicitur. Eubiotus prope simili perfunctus vitâ, post sexcenta tormenta in solitudine tamen diem suum obiit 18. Decembris.

S. PHOSTERIVS.

4. Ianuar.

HIc S. noster Pater Phosterius ex Oriente, veluti sol quidam effulgens occidentem splendore suo illustrauit. Cum enim altam rupem, & ab omni strepitu remotam ascendisset, purissimis Deum precibus coluit, cibiq; abstinentia, insomniaq; & chameuniis, cæterisq; corporis afflictationibus se ipsum discruciando verè sidus videbatur, nomineq; rebus conueniente, orbem omnem luminis fulgore impleuit. Corpus autem castimoniâ illibatum, mentem sanctimoniâ consecrauit, Deique expressam animi similitudinem vti erat capax, custodiendo, spiritus sancti sacrarium effecit. Etenim miraculis à Deo auctus & exornatus, morbos omnes, omnisq; generis ægritudines, à quacunque hominum sorte precando depulit, panesque diuinitus, vt olim Elias vates,* accepit. Sed ille per coruum, hic verò per cœlitis manum capiebat. Angelus igitur erat, qui huic quot diebus, certe

* & postea Paulus primus cum Antonio.

certo quodam loco, certa quadam dispensatione panem seposuit. Quod si vnus, alterue, aut tres plurésue religiosi fratres peregrè aduenissent, totidem panes eodem in loco per se reperiebantur. Quis vnquam tam inusitatum miraculum vel oculis vsurpauit, vel per auditionem accepit? Sed cũ absque Deo nihil possit nostra deprecatio, non vsque ad vitę finem hoc Dei munus illi est concessum. Sed Prophetæ quidem ad aliquos duntaxat dies, beato verò huic ad annos non paucos, quoad nempe vitam solitariam & inopem est sectatus. Postquam verò cœnobiũ ope numinis excitauit, plurimosque in eo monachos Deo dedicauit, non è cœlo, vt ante, victum accepit, sed ex quotidiano manus opere omnibus necessaria præbuit: non quod id Deus non posset, apage os impium, quomodo enim, qui tot millia ingratorum Hebræorum in solitudine pauit, non possit fidissimos, sibiq; gratissimos cultores & alumnos pascere? patet res: neque rursum, sancti viri preces Deus aspernatus est, absit: quin neque pro subtracto pastu vnquam deprecatus est. Quærite enim, inquit Christus, regnum cœlorum, & hæc omnia adiicientur vobis. Nec rursum placet Deo otium nostrum a-

Vti neque prophetæ.

lere. Hinc præcepit Deus famulo suo Phosterio, vti ne quid ab alio acciperet, sed manus operâ omnia sibi, suisque compararet. Nihil enim à quoquam accipiebat, atque ab eo tempore non verbo tantum docuit suos alumnos, quo pacto faciendo opere essent occupandi, studioq; precandi & legendi vacarent, sed reipsa & factis id ipsis ostendebat. Cum porrò ea tempestate hæresis in Ecclesia Dei grassaretur, multisque coactis patribus & ipse euocaretur, venire minimè recusauit, req; benè gestâ, summâ de se omnibus admirationem commouit, multosque ex mulsis errorum sectis ad veritatem traduxit, pluresque suis adhortationibus ad vitæ monâsticæ disciplinam attraxit, multaque miracula viuus mortuusque edidit. Obiit quinta Ianuarii ad vesperam.

9. Ianuar.

S. EVSTRATIVS Thaumaturgus.

De alio Eustratio martyre leges infra in Syntagmate de

HIC è Tarsia, sic indigitata regio est, optimatum ordini subiectâ, vico Bitziano, religiosis admodum parentibus & copiosis Georgio & Megethone oriundus, ab illis honestè eductus & institutus, cum annum

annum ætatis vigesimum exegisset, cœlesti incensus ardore, profugus parentes relinquit, & ad Olympi oras, Augariique cœnobium properat, in quo Gregorius & Basilius eius auunculi omni virtutum genere & exercitatione elucebant. Ab his receptus, & comam tonsus, laboriosum illud in monachis aptum vitæ genus amplexatus est. Voti compos, omnibus domesticis, summâ cum animi alacritate, & mentis demissione, nulla prorsus curâ vitæ præsentis habitâ, abiectis omnibus, ministrauit. Nisi quod cilicinum cucullum & melotam retineret, in quo somnum (vbi vbi noxillum oppressisset) modico tempore caperet. Nullum enim certum ad quiescendum locum legerat. Fertur nunquam supinus iacuisse, postquam rebus humanis nuncium remisit, neque totis septuaginta quinque annis, quibus cursum vitæ, certamenq; exercitationum peregit, in sinistrum latus corpus deposuisse, aut dormiisse. Sanctis verò illis, qui monasterio præfuerunt, vitâ functis, eximio huic cura monasterii demãdata est, ipsorum impulsu fratrum, vt præfecturam susciperet, inducto. Postquam verò immanis ille rectè cognominatus Leo, à Bulgarico reuersus bello, imperium Michaëlis

statumorientium, & annotationibus.

religiosissimi principis inuasit, Michaëlem quidem, qui illum humanissimè exceperat, & coniuge & liberis spoliatum in vinculis habuit, attonsumq; in monachum in obiectam è regione insulam exulatum eiecit, sopitamq; ante Iconomachorum sectam, reuocare conatus est, hic omnibus sua (monasteriorum & solitudinum) domicilia relinquentibus, & ipse, hortatu magni illius Ioannicii, in patriam venit. Restituto dein Ecclesię sacrarum imaginum cultu, & veneratione, sancti quoque patres, signis ac miraculis clari, suas quisque ædiculas repetiuere, quando & diuinus iste Eustratius postliminio ad suum se cœnobium contulit, vbi per totos dies fratrum labores, labore suo adiuuit, noctes verò peruigili statione, genuque flexione exegit. Atque nihilominus dum diuinâ psalmorum ex more odaria cantarentur, ipse assiduè intra sacrarium κύριε ἐλέησον seorsum clamitabat. Miranda porro opera quæ designauit, ob ingentem eorum copiam tradi literis (per compendium) non possunt; quæ quidem, quantopere Deo studia sua probarit, certo fuêre argumento. Tandem hinc emigraturus, coactos qui sub eius præfecturâ vixerant, in hæc verba compellauit. Fratres, ego

ego ad vltimam vitæ lineam perueni: reliquum est, dilecti filioli, vti depositũ, quod accepistis fideliter custodiatis, vt qui haud ignoratis, præsentia omnia fluxa, futura verò esse sempiterna. Enitimini ergo, vti in censum beatorum referamini. Hæc effatus, beneque precatus, cruce illos signauit, & sublatis in cœlum oculis: in manus, inquit, tuas Domine commendo spiritum meum, & grato quietis somno consopitus obdormiuit in Domino, cum annos vixisset quinque supra nonaginta. Deus nobis, eius deprecatu, misericordiam impertiatur, Amen.

ANNOTATIO.

DE Leone Armeno tyranno, & Michaële Imperatore fusè dictum in vitâ B. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani (quam Nicetas Paphlago conscripsit) concilio VIII. Oecumenico præfixa. Lege Curopalatam, Zonaram, Cedrenum & alios.

S. THEODOSIVS Cœnobiarcha. 11. Ianuar.

VEnerandus hic ex patribus nostris Theodosius, in Mogariso Cappadociæ

pago, Christianis & religiosis admodũ parentibus Proæresio, & Eulogiâ natus, vitam complexus monasticam, sacram induit religionis vestem, Hierosolymamque profectus, inde Antiochiam adiit, vbi Simeonem eximium illum Stylitam conuenit, à quo futura illius vitæ sanctimonia illi prædicta, vt qui magni gregis animalium ratione pollentium futurus esset pastor. Deinde apud Longinum, laudatissimũ quendam virum, rebus diuinis in solitudine eruditus, ad eam peruenit abstinentiam, vt in hebdomade non nisi semel cibo corpus reficeret, tandemque toto * triennio panem non gustaret; pariterque in aliis virtutum studiis tantum promouit, vt in summum pietatis culmen enisus inusitata signa ederet.

* *S. Nicolaus Heluetus, totis 20. ãnis omni prorsus cibo abstinuit.*

Basilium quendã monachum defunctũ, & in tumbam depositum, vidit vnus ille cum altero quodam monacho, fratribus astantem & psalmis accinentem. carbones nullo subiecto igne, vbi monasterium erat conditurus, accendit. Fœminam ad se ad euntem sanguinis profluuio liberauit. Ex vno frumenti grano per preces integra granaria repleuit. Puerum in altam putei de lapsum voraginem, inspectabili præsentiâ extra-

extraxit. fœtuum abortiones repressit, qui dum in vitam immaturi prodibant, per mortem ex vita exturbabantur. Quare horum matrem ob hanc affectionem perinde ac si sterilis fuisset, fœcundam reddidit. ingens locustarum agmen verbo increpitans abegit. Quiricum orientis comitem veste sua cilicina, qua pro thorace illum induerat, inuulnerabilem præstitit. Sata terræ ardore læsa, impetrato per preces imbre recreauit. Prædixit ingentem per terræmotum Antiochiæ ruinam. Multos naufragium passos, & cum fluctibus colluctantes, periculo spectabilis visus eripuit. Multis autor vitę religiosę factus ad Dominum è vita excessit. Dies illi solennis in veneranda B. Petri Apostoli æde peragitur.

ANNOTATIO.

GLycas Annal. 4. & Metaphrastes in Actis Iohannis & Cyri, narrant Theodosium M. Senuphii anachoretæ epomide seu super humerali indutum, & scipione instructum in hostes progressum, eos illico veluti præsenti numine territos in fugam conicciſſe.

S. MAVSIMA 23. Ianuar.

Syrus.

* *Cyrus oppidum Syriæ.*

VIR quispiam * Cyri fuit, cui Mausimæ nomen, Syrus lingua, qui inter agrestes educatus, ad magnum virtutum splendorẽ naturæ ductu peruenit: vnamq; tunicam adhibuit, quę si rupta esset, alterã non parauit, sed eandem semper resarsit, itaque corpus texit. Hospitalis adeo fuit, vt peregrinis omnibus & pauperibus fores illius patuerint semper. Vasa duo habuisse fertur, frumenti alterum, alterum olei, vnde omnibus egentibus eadem benignitatis copiâ (nunquam defectis oleo doliis) qua Sareptana quondam vidua fruebatur, victum præbebat. Omnibus enim, qui eius implorabant opem, succurrit Deus, velutq; hydriam illam &.·. lecythum fluere iussit, sementemque hospitalitatis manipulis & segete compensauit, ita huius admirandi promtam liberalitatem pari munificentia rependit. Vita benè sancteq; transactâ ad Dominum emigrauit.

παμψάχνη

ANNOTATIO.

PLura de hoc Theodoretus in patrum historia cap. xiiii. qui eum appellat Mæsimam.

cf. Ianuar.

S. SALAMANES Solitarius.

Vicus

VIcus est ad Euphratem fluuium versus occidentem situs, Capersana dictus, vnde originem ducit Beatus hic Salamanes, qui vitam sectatus quietam vltra vicum, mapale reperit, quo se, & ianua, & fenestra obstructis, abdidit, semelque tantum, per fossâ terrâ, alimenta pro toto anno admisit. Vrbis ergo pontifex, cum de viri virtute audisset, ad illum adiit, vt illum sacerdotio initiaret, parteque ædiculæ deiecta, ingressus manus illi imposuit, preceque rite facta, multis eum affatus, sacerdotium oblatum denunciauit. Sed nulla voce expressâ, Episcopus abiit, imperauitq; vt apertam illam rursum clauderent casulæ partem. Alio tempore vicani illi, vnde oriundus erat, traiecto per noctem flumine, illum rapuerunt, & in suum pagum neq; obnitentem, neque verbo repugnantem, neque quicquam omninò cuiquam demandantem abduxerunt, similemq; illi prioris ædiculam excitarunt, atque subito incluserunt, qui perinde ibi solitarius vixit, nunquam vllum allocutus. Post paucos exinde dies, illi pagani, qui è regione vici colebant, noctu rursum superuenientes, cellulam perfoderũt, virumque nihil recusantem, nec signum vllum præ se ferentem, quod inuitus mansisset,

Theodoretus histor. SS. patrũ. C. XIX.

sisset, vel volens discederet, secum trahunt, ita penitus seipsum, quasi viuum exhibebat cadauer, vocém quã illam Apostolicam rectissimè vsurpabat: *cum Christo crucifixus sum: viuo autem non iam ego, viuit verò in me Christus: quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filii Dei, qui me dilexit & tradidit seipsum pro me:* ita ergo beatus Salamanes sensus suos vti nemo alius, mactauit, in hoc studio ad mortem vsque constans perstitit, profectusque ad Dominum æternum agit triumphum.

24. Ianua.

S. XENE SEV EVSEBIA, SIVE HOSPITA.

Huius Acta ex Metaphraste leges apud Surium 25. Ianua.

PErbeata hęc Xene, illustrissima fuit vrbe Româ oriunda, loco inprimis claro & inuidendo nata. Parentibus illam matrimonio collocare iam parantibus, ipsisque iam instructis nuptiis, ex ipso thalamo cum duabus ancillis profuga per mare ad Milassorum oppidum peruenit. Immo ductu venerabilis Pauli monachi, qui Alexandrię illi spectabilis apparuit, ad eam vrbem appulit, vbi modico ad memoriam S. Stephani protomartyris extructo sacello, cum duabus ancillis & aliis quibusdam paucis virgi-

virginibus, quæ conuenerant, disciplinam religiosam arctissimè coluit, atque per omnium voluptatum fugam, continentiamq; & summam vitæ patientiam, seipsam ad cœlitum vitam propius admouit, quam cũ fæliciter ad finem vsque prosecuta esset, diuinum sanctitatis testimonium post obitũ est indepta. Ipso quippe meridie, cum sol terram clarissimè illustraret, crux stellata visa est, quam alius astrorum chorus coronabat, vt videretur esse ipsius sanctæ corona, ob diuturna ieiunia, peruigilia, & virginitatis incorruptam laudem, à Deo missa. Idque inde clarum euasit, quod sacro eius corpusculo humi condito, spectatus ille siderum chorus & corona enanuerit. Statum porro & conditionem sanctæ Xenæ, ancillula eius, cum moreretur ab ea narrante accepit, quæ inquam, eius esset patria, quod illustre genus, generisque cognomen. Eusebiam enim dixerant, quo, vt latere posset, tacito se Xenam seu Peregrinam seu hospitam nominarat.

S. MACEDONIVS ANCHORETA.

HIc beatus noster Macedonius stadium & palęstram virtutum habebat in altis monti-

montium verticibus, nec vno in loco, sed nunc in hoc, modo in isto degebat, modo rursum in alium commigrabat, in Phænicia, Syria, & Cicilia versatus, quod eo consilio factitabat, vt hominum turbas certatim ad se confluentium declinaret, annosq; quadraginta quinque in hoc genere exercitationis transegit, cum nullam casam, nullam cellam incoleret, sed in alta quadã scrobe latitaret. Vbi tamen consenuerat, precibus cessit rogantium, & tuguriolum fixit. Postea alienis domiciliis non suis, annis quinque & viginti vtebatur, ita vt æuũ in tali palæstra ad septuagesimum propagaret. hordeo & aqua quadraginta annis pastus. Morbo correptus exiguo panis crustulo cum aqua vitam tolerabat. Hic suspiciendus sanè miraculis cœpit magnus haberi, cũ ex hominũ corporib⁹ spiritus malos pelleret, omnesq; morborum affectus curaret, & inusitata multa designaret. Ad hunc muliercula quædam ex arte cacodæmonis bulimia seu insatiabili edendi auiditate vexata, quam domestici multis sæpe lacrymis deplorarant, adducta fuit, pro qua virum sanctum ij, qui ducebant fœminam, deprecati sunt. Fecit ille suis precibus, vt modum naturæ nunquam amplius excederet.

ret. Fertur prius gallinas triginta vno die absumsisse. Postea viri sancti precibus ad eam temperantiam redacta est, vt neque dimidiam amplius esse posset. Numinis ergo sincerus constansque cultor, natus amplius annos septuaginta ad Dominum è vitâ discessit.

ANNOTATIO.

PRædicat hunc S. I. Damascenus lib. de imaginum calumniatoribus. Theodoretus hist SS. patrum C. XIII. fusè eiusdem vitam describit. De quibusdam voracibus diabolis hominem simalantibus vide N. Serarium ad Tob. c. 6. p. 101.

S. SIMEON COGNOMENTO PRISCVS. 26. Ian.

HIC à puero vitam in solitudine religiosam sectatus in angusto admodum antri latibulo degebat, nulloque cibo hominum cura facto vescebatur, sed sponte nascentibus herbis edulibus pascebatur. Incessit in eum cupido montis petendi, in quo Moyses latuerat, quem ingressus, pronus septem totos dies absque vllo alimento in votis & lacrymis traduxit, nec prius surrexit, quam cœlesti voce iuberetur surgere, propositaq; tria poma sumere. Cum ergo

ergo surgeret, nam cernuus iacuerat, tria mala reperta magno animi gaudio degustauit. Regressus ex monte, duo cœnobia condidit, vitæque laboriosæ modum ipso fine viuendi fecit.

ANNOTATIO.

PRædicat hunc Theodoretus lib. 4. Eccles. hist. & cap. 6. SS. patrum historia vitam copiosius describit.

S. EPHRAEM SYRVS.

28. Ianua. Græc. 1. Feb. Lat.

HIC in oriente natus, gente Syrus * Theodosio M. imperante floruit, qui pietate Christiana à maioribus hausta, in ipsa prope pueritia religiosum vitæ monasticæ genus, est complexus. libros cœlesti gratiæ fonte inundatus, plurimos salutari pœnitentiæ luctu plenos edidit, multisq; sectandæ virtutis auctor extitit, et vnicum religiosæ vitæ exemplum posteris reliquit. Celebratur dies ipsi festus in æde S. Aquilinæ in loco quem Philoxenum, haud procul à foro situm, nominant.

* Vide notas.

ANNOTATIONES.

VT omnes scriptores S. Ephræm Syrum affirmant, ita non omnes in assignanda patria conueniunt, sed * Nisibitam alij, alij Edessenum fuisse

* Sozomenus histor. Eccles. l. 3. c. 15.

fuisse tradunt. Vitam S. viri, vel Elogia composuere plures. Gregorius Nyssenus * Amphilochius Iconij Pontifex. * D. Basilius. D. Hieronymus in Syllabo Eccles. scriptorum. D. I. Chrysostomus Serm. de falsis Prophetis. Palladius vitam eius scripsit, quę M.S. græcè reperitur in Vatic. biblioth. * Theodoretus, Sozomenus. Menolog. Græcum antiquum M S. Simeon Metaphrastes. Anastasius Synaita * Photius Pseudopatriarcha, Georgius Cedrenus, Prodomus, Nicephorus Callixtus, Ioann. Trithemius. M SS. Anonymi Græci, qui Edessenũ produnt, vt est apud Gerardum Vossium, qui tamen hoc ex Menæis Græcis testimonium & elogium diuersum à menologio antiquo, non adduxit. Mentio quoq; est eiusdem in menologio quod cum Sirleti interpretatione extat. Non tacent eundem fasti Romani & Latini, sed diem Cal. Februarijs celebrant.

* *in cõparat. Basilij & Ephræm*

* *Homil. 2. Hexaem.*

* *hist. Eccles. l. 2. c. 30. l 4. c. 29*

* *in biblioth.*

Quod hunc Theodosio imperãte floruisse Menęa tradunt, id Auctores non æquè omnes probãt. Ad Valentem tamen, qui præcessit Theodosium, vitam propagasse testatur Hieronymus. Anonymi docent illum vixisse temporibus Constantini & aliorum, qui post ipsum regnarunt. Menologium antiquum à Vossio laudatum Cõstantino magno imperante natum esse memorat. Quod si ita est, facilè potuit ad Theodosium M. ætatem produxisse.

Altera dubitatio est, an Diaconus vel presbyter mortuus fuerit. S. Hieronymus & Sozomenus nõ vltra diaconi gradum progressum scribunt. Amphilochius, Menologium antiquum M S. Trithemius, presbyterum à D. Basilio magno initiatum asserunt. Sozomeni verba sunt. *Paucis verò post*

interpositis diebus, mortem obijt, qui quamquam in ordine Clericali ad diaconatum solùm elatus erat, tamen non minus omnium sermone ob virtutem celebratus est, quam hi, qui ob Sacerdotij dignitatem, institutionem bonæ vitæ, & excellentem doctrinam in magna admiratione fuerunt. Scripta ipsius, linguâ Syriacâ, Græcus aliquis interpres transtulit humili oratione, vt Photius narrat, quæ Gerardus Vossius nuper latinè reddidit, & Scholijs illustrauit, multæ versuum chiliades adhuc desiderãtur.

Celebrãtur multa præclara illius facta, mirãdus ortus, pueritia, religio, virtutes, testamentũ, dictaq; elegantia. Sed nihil æque memorandum ac mores in carcere emendati. Quod vt acciderit in vita eius non exponitur, sed in * operibus ipsis Ephręmi ab ipsomet prolixè narratur. quam ego historiam in pauca collectam tibi lector meis verbis legendã propono. Sequor potissimũ eam narrationẽ (nonnihil enim ∴ variant) quæ secũdo volumine extat.

* *Tom. 2. p. 162. tom. 3. p. 599. ∴ lege Frãcisci Zini metaphrasin Dilingæ editam anno 1562.*

Cum puer (inquit) sanè malè moratus, iussu parentum suburbium peterem, repertam in saltu buculam fætu grauidam cæpi crebra lapidum insectatione eo vsque prosequi, donec onere ventris & cursu fatigata concideret. Mortua feris per noctem in prædam cessit; ego cæptum prosecutus iter obuiam habui iuuencæ dominum, vltimæ sortis & fortunæ hominem, solicitè pecudem amissam vestigantem, meque per amanter salutantem, rogantemque an aberrantis bouis vestigia in silua alicubi deprehendissem. Ego vt me extra suspicionem facti ponerem, nullo dignatum responso insuper etiam contumelijs oneratum dimisi. Exacto inde mense eandem viam remetiri iussum in nemore nox oppressit. Opilio-

piliones qui gregem in silua pascebant, occursantes quærunt, quo sub imminentẽ iam noctem tenderem? missu parentum, inquam, ad suburbium illud propero. Diuerte inquiunt ad nos, occasum iam solem vides, prima luce reliquam viam conficies. Victus humanitate pastorum mapalibus successi. Sed intempesta nocte ouilibus insidiatæ ferę gregem inuasere, totaq; silua distulere. Postero die Magistri pecoris caulas inanes conspicati, me furibus ducem rati, necquicquam Diuûm hominumq; fidem implorantem ac testantem prætori vinctum sistunt, qui custodiæ mandatum duobus reis adiunxit, quorum vterq; exors criminis cuius affinis putabatur, occulta tamen vindicta Numinis vtrumq; prosequente in suspicionem alter cædis, alter adulterij, inciderat. Iam quadragesimum diem in carcere trahebam, cũ se dormienti species ephebi vultu formidabilis offert, qui me tamen placidè affatus: Ephræm, inquit, quid hic agis in vinculis? Domine, inquam, aspectu tuo perculsus totis artubus contremisco fatiscoque. Pone metum, inquit, & caussam vinculorum expone. Domine, missu parentum in suburbium festinabam, sed tenebris occupatum custodes pecoris in tugurium inuitarunt; intetim de nocte gregem lupi inuadunt, ac tota silua dispergũt. Hinc ego postera luce à pastoribus reus peractus, arbitrantibus ductu meo prædones ad ouilia penetrasse, ad prætoria vinctus quamuis insons, meramq; calumniam passus rapior. Hic ille renidenti vultu: Noui, inquit, ego te extra crimen hoc positum, impactamq; tibi puram putam calumniam; sed quid ante mensem vnum aut alterum designaris haud ignoro, cum in fælicis viri miserum pe-

cus crebra lapidatione confeciſti. Diſce ergo iuſtum eſſe tribunal Numinis, nullumq; cæleſti vindictâ niſi nocentem plecti. Exemplo ſint gemini illi iuxta tecum vinculis conſtricti, ambo eius, cuius inſimulantur, noxę immunes, ſed percontatus illos intelliges, cur illos in cuſtodiam æquitas diuina dari permiſerit. Hæc fatus adoleſcens ex oculis abijſſe viſus eſt. Expergefactus ego ſimul ac diluculauit, compello vtrumq;. Qui vos, inquam, fratres in hunc locũ caſus detulit. Cædis, inquit alter, accuſor, & cædem nullam vnquã feci: Ego, alter inquit, alterius violaſſe torum dicor, cum fæminam alienam nunquam contrectârim. Enimuerò quid aliàs a vobis olim peccatum eſt, aut cuius cauſſa in has ærumnas permiſſu numinis deuoluti eſtis? Ante non multos dies, inquit ille falſæ cædis reus, cum extra mænia pontem flumini impoſitum tranſirem, ſęcuti me alij duo in ipſo ponte altercari cæperunt, gliſcenteq; ſenſim rixâ, ad manus venere: vbi valentior alterum de ponte in ſubterfluentem vndam præcipitauit, & ſe ſubduxit: ego propter alueum inambulans illi cum fluctibus luctanti, opemq; meam vltimis votis & lacrymis ſuppliciter imploranti manum facilem non porrexi, paſſus infælicem diu multumq; fruſtrà contra torrentem niti & me præſente ſpectanteq; vorticibus fluminis abripi & hauriri. Hinc, opinor, ira cæleſtis me iuſtè perſecuta in hos calumniæ caſſes, carceres & vincula coniecit. Dein alter falſa adulterij ſuſpicione circumuentus. Et ego, inquit, meum vobis facinus exponam: Biennium eſt, cum gemini fratres defunctis parentibus ampliſſimam hæreditatem adierunt, à quibus, nondũ diuiſas ſorte, ſoror orba & vidua ſuam

partem

partem exigebat, quam inficiaturi, ſororem ſtatuerunt calumnijs opprimere. Fornices innocenti, vagamq; libidinem obijciunt: negare illa, & iureiurando affirmare ſe puram & omnis culpæ expertem; inſtare illi, ſe teſtibus conuicturos, nocentemq; patrimonio exturbaturos. Bene ſibi conſcia ſoror conditionem admittit. Conueniunt me fratres, paciſcuntur quinquagenos aureos in calumniam. ſpondeo, præſentibusq; fratribus & ſorore, alijsq; teſtibus ſacramento confirmo ſcortū eſſe, eiusq; rei mei conſcium iuro deieroq;. Ita mulier hæreditate paterna penitus exuta per nos innocens infamia ſimul notata, & patrimonio ſpoliata eſt. Hoc meum eſt facinus. adulteriū de quo poſtulor, numquā cogitaui. Et te, inquiunt, quæ cauſſa nobis ſocium vinculorum adduxit? Narraui de ouium grege à feris direpto, meq; eo nomine inculpatum eſſe: Ecquod tu crimen, inquiunt, olim concepiſti, vt in capitis diſcrimen diuina te prouidentia venire paſſa ſit? Buculam ego pauperis prægnantem lapidibus inſectatus ad mortem adegi, ipſum inſuper ſuam iuuencam veſtigantem indignis conuicijs laceraui. Poſtridie prętor ſontes ad tribunal ſiſti iubet, & quæſtionibus ſubijci. Primus de cæde & vi appellatus conſtanter negat factum. torqueri iuſſus eadem conſtantia perſeuerat in tormētis. ſoluto primo ſecundus pro adultero habitus ducitur, pariq; ratione tortus adulterium inficiatur. Ego interim metu prope exanimatus trepidabam & pauebam, magnāq; vim lacrymarum profundebam, vt qui proinde me ac cæteros ad ſupplicium quæſtionum adductum ſcirem. Quin & lictorum turba me lamentantem petulanter palam irridere, & dictis inceſſere: ſerò

ploras puer, tum plorandum erat, cum ſcelus admiſiſti: iam nunc in medium & tu proditurus es; quæ vox adeo vulnerauit animum meum, vti tantùm non defectus ante mortem morerer. Tandem pronunciata in duos ſententia, videri innocentes, abſoluti ſunt ac dimiſſi: Ego imperio prętoris reductus in cuſtodiam alteros quadraginta dies ibidem exegi, cum tres alij in eundem mecum carcerem compinguntur. reuerſusq; ad me ille adoleſcens, qui mihi per quietem viſus, erat; &: Ephræm inquit percontatus es ex illis duobus, quid peccauerint? Ego verò, inquam, & prolixè expoſui omnia, quæ ab ijs didiceram. Intelligis ergo, inquit, iudicia Dei iuſta? En duo hi gemini fratres illi ſunt, qui ſororem falſa ſtupri criminatione oppreſſam bonis paternis, exuerunt. Tertius eſt ille, qui de ponte hominẽ in flumen deiecit, cuius vi ac impetu abreptus interijt. Ego mox vt illuxit, adortus ſingulos de ſingulis quæſiui, qua culpa fuerint comprehenſi, & in neruum dati. Cum alij cædem falſam, alius adulteriũ necquicquam cauſaretur, & omnes ſe innoxios dictitarent. Regredimini inquam in memoriam æui retro acti à vobis, forte olim aliquid peccaſtis & non expiaſtis. Hic illi faſsi calumniam ſorori factam, & ademptam hæreditatem. tertius depontanum illum àſe in aquas præcipitatum dixit. Extorta à ſingulis confeſſione, aperui quæ cognoueram de alijs, qua illi narratione attoniti formidare cæperunt vindictam diuinam. Inſequenti die quæſitor omnes ad publicum tribunal adduci præcepit, vbi ſpectante toto populo rotarum gyris adſtricti, diuq; excarnificati facinora ſua omnia ediderunt, cædes, adulteria, calumnias, lataq; ſententia me preſente in fur-

in furcam acti animas exhalârũt. Quid mihi tunc animi, quis ſenſus, ac trepidatio? Lictores enim, age puer inquiunt non ita quæſtionem vt nuper cuades, quib⁹ ego externatus mortuo ꝓpior quam viuo videbar. Ergo tandem prætor, puerum inquit veſte ſpoliate, ſpoliatum loris à manibus pedibusq; diſtendite, neruisq; bubulis mactate. Hic ego mille votis cælum oneraui, Deumque infimis precibus propitiare conatus, religionem profeſſurum ſpopondi, ſi me præſenti ſupplicio eriperet, & vinculis exemto ſalutem expediret. Audire mox viſa Dei clementia lacrymabiles gemitus meos: ex conſilio iudicum primus monet prætorem, vt ſi videretur, in aliud tempus cognitionem reijceret meæ cauſſæ, prandii horam eſſe. Reducor ego oneratus ferro in vincula, aliosq; dies quinq; ſupra viginti in cuſtodia ſolus exigo. Cum ecce tibi rurſus ille iuuenis (haud dubiè tutelaris ſpiritus) mihi iam tertium adſtat, & compellans. Satis ne credis iam inquit, iuſto Dei iudicio mundum adminiſtrari, nec quicquam cõtra æquitatem ab eo fieri? plus ſatis inquam intellexi mirabilia opera Domini, & inueſtigabiles vias eius, ſed obſecro Domine qui me tam clementi affatu in vltimis his periculis & ærumnis meis dignatus es, aſſere me ex vinculis in priſtinam libertatem, ego tibi viciſſim totum vitæ meæ æuum deuoueo deſpondeoq́;, monachum induam, & in omnem vitam ſincera fide ſeruiam. Subridens ille: ſemel duntaxat adhuc ad tribunal ſiſteris, & miſſionem accipies. Ah Domine inquam, minas & plagas iudicis pertimeſco & reformido. Rurſum ille placidè, tam grauiter te peccaſſe non oportebat, nunc quoniam ob improbitatem tuam tu ipſe te his calamitatibus im-

plicasti, quid agam? Enimuero non multa patieris, succedet huic nouus prætor, qui te missum faciet, & cum dicto recessit. Anxius ego propter euentus incerti expectationem, post quartum diem nouus prętor magistratum init parentib⁹ meis familiariter notus, qui octauo quam inierat præturam die, quærit ex præfecto carceris, quos teneret in vinculis. Neminem præfectus inquit præter puerum. Productum in quæstionem, agnoscit, & nihilo secius ex legum præscripto caussam cognoscit, & absolutum dimittit. Ego præter expectationem absolutus rectà in mõtem profectus ad venerandi senis pedes procubui, statuq; vitæ & discriminis explicato in verba Religionis & Monachi iuraui. Sed hæc vtilitatis publicæ causa exposui, vti iuxta mecum iustum Dei numen veneremini, quod modis omnibus omnium salutem procurat. Huius planè exempli vindicta in Limonatio Io. Euirati extat, quam negligere hic nullo modo possum. Poęmen religiosissimus erat anachoreta, ad quem conscientiæ tranquillandæ caussa venerat Agathonicus præses cœnobij S. Sabæ, quẽ nocte appetente in proximum dimisit spelæum. Sęuiebat tum atrox hiems, & Agathonicus per noctem frigore obrigerat, postera luce conuenit illum Poemen, ad quem Agathonicus: Ignosce pater: & Poemen; quid est fili? & Agathonicus: duram pertuli noctem, frigore prope perij: Ego inquit Poemẽ frigus nullum sensi. Quid ita inquit Agathonicus non frixisti, cum nudus etiamnũ sis. Leo inquit Poemen, iuxa me accubuit & me calefecit. Enimuero à feris olim discerpendus sum. Nam cum pastorem ouium quondam agerem, vidi peregrinum à canibus inuadi discerpi & deuorari,

De Anachoreta à feris discerpto.

porari nec succurri misero cum possem, nec prohibui, decretum ergo diuinitus est vt ego quoq; pari mortis genere occumbam. Post triennium ergo discerptus interiit. Subnectam & aliud diuinæ cẽsuræ monumentum his affine. Henricus in dioptra exemplorum narrat, cuidam viro nobili fuisse multis annis seruum in primis fidum & gnauum, adeoq; ad omnia imperata promptissimum. Vsu venit vt Dominus per siluam equo vehens vidulũ argenti triginta pondo, seruo pone sequente nec aduertente perderet. Vbi ad flumen ventum herus folliculum pecuniarum desiderat, quærit è seruo, inueneritne amissam bulgã? negantẽ illico irâ inflammatus ac prope in rabiem actus stricto ferro persequitur, pede trũcat, semineceq; relicto, viam, qua incesserat, argento quærendo relegit. Seruus dolore pedis recisi propè exanimatus siluã eiulatu complet. Exciuit lamentabilis vox anachoretam haud procul inde degentem, reperit is humi iacentem, pedeq; pessimè mulctatum, commiseratione motus compellat, & quam potuit, verborum medelam adhibet; enimuero propiùs eum à morte abesse ratus hortatur, ad salutarem peccatorum confessionem & expiationem, monetq; hero vt suo ignoscat, Deum quoq; perinde clementem in se experturum, parati ad omnia cõfessionem excipit, causamq; facti totã intelligit; vnde maiori affectu infelicem prosecutus in cellam suam deportauit, maximaq; cura inseruire & mederi quibus potuit officijs cæpit. Interim animo secum pertractans miserãdum innocentis hominis casum quasi offendebatur in Deo, quod insontem seruum tam atroci calamitate tantisq; ærumnis premi opprimiq; passus esset. Hæc indigna de æquissimo sapientissimoq; Numine impiè

Iosephus Balardino lib. 3. c. 47.

cogitanti adstat angelus, voceq; huiusmodi affatur: Quid moueris indignarisque super iusto & abdito prouidentiæ diuinæ iudicio, an ignoras psalmos? Deum iustum iudicem & rectum iudicium eius? Haud nescio, inquit Anachoreta, sæpeq; & legi & hactenus credidi, sed hodiè sortem innocentis & vltimi seruuli miseratus nõ potui assequi, qua ratione tanta supplicia ꝓpter noxas nõ adeò graues dependat. Caue, inquit Angelus, tam impiè sentias loquâreq; de sapientissima æquissimaq; sententia Dei: nam omnes viæ ipsius iustæ & sanctæ. scriptum probè nôsti: Iudicia Dei abyssus multa. proinde noueris huic pedem amputatũ, vt iustas pænas daret, quod hoc ipso quõdam pede iuuenis suam ipsius matrem ex curru indignis modis deturbârit, nec vnquam de hoc scelere vt par erat, doluerit. Hinc iustus Deus ob hoc illum facinus pręsenti pæna afflixit, vt mortuo olim posset parcere. Herum porrò scias illius, amissâ illâ pecunia ad plurima & maxima flagitia in suam & aliorum perniciem & exitium sempiternum abusurum fuisse. Abstulit ergo verissimus Deus occasionem hanc ab illo in terris, ne cæli faceret iacturam. Contrà is, qui in sacculum argenti amissi incidit, tenuis erat fortunæ, sed integræ vitæ, numerosæq; familiæ, qui argentum repertum quàm primùm ad curionem suum detulit pro concione proclamãdum, vt, si quis suum profiteretur, ei redderetur. parochus diuinitus de repertoris inopia doctus, cum nemo vindex adesset, partem ex illa inuentori transcripsit, reliquam in reliquos inopes paræciæ suæ partitus est. Hic religiosus ille siluæ cultor suam agnoscere temeritatem, seq; æternis dignũ supplicijs fateri, pacem veniamq; flagitare.

Cui

Cui Angelus: Iam tibi sum̃a Dei clementia ignouit, prosequere constanti fortiq; animo cæptum pietatis iter, & sempiternis quondam gaudiorum prẽmijs potiere.

Celebrãtur & alij duo nobiles Ephræmi, quorũ alter patriarcham egit Antiochenũ, alter * Theopolitanũ pontificem, ambo illustres & sancti. Sed ego ex Antiocheno & Theopolitano vnũ facio Antiochia enim Theopolis dicta est a Iustiniano, sub quo Ephræmius hic vixit. * Tertius fuit Episcop⁹ & Martyr in Chersoneso. Narrãtur Ephrẽmi quædam pie simul & lepidè dicta, quę in vita apud Vossium operibus præfixa leguntur.

I. Euiratus c. 36. c. 37.
** Photius bibl. p. 420*
Menol. 4. Martij.

S. EVLOGIVS.

XIII. Febr. Græcis. 13. Sept. apud Latin. 1. 2. *Baronij Martyr. Rom.* 3.

HEraclio imperante rexit hic Ecclesiam Alexandrinam ante D. 2. Ioañem, qui à benignitate in miseros Eleimon est appellatus; Miracula patrauit * multa; inter alia hoc quoq; illi accidit. 3. Leo pontifex Epistolam pro Calcedonẽsi concilio de recta fide scripserat, quam lectam S. Eulogius non probauit tantum & recepit, sed omnibus etiam promulgauit. Deus ergo vtrumque honore prosecutus, misit angelum Archidiaconi, Leonis pontificis ornatum cultu, qui gratias ageret D. Eulogio ob receptam Leonis epistolam. Eulogius cum angelo perinde quasi cum homine & pontificis Archidiacono familiariter collocutus, euanescẽte spiritu, gratijs Dei persolutis animã suam in manus Domini cõmendauit.

** Vide Euagrium Sophonitũ c. 146. 141. 148. 149.*

ANNO.

ANNOTATIONES.

Theophanes inedit⁹ et Anastasius ex illo. A.M.6072 Christi572 creat⁹ Patriarcha. 598. mortuus, prafuit annos XVII.

ERror est in imperatoris nomine. Non peruenit Eulogius vsque ad Heraclium sed anno secundo Tiberij qui Mauritium præcessit, creatus Archiepiscopus Alexandriæ, in patriarchatu vixit annos XXVII. nortuus est Phocæ tyrani anno quarto, Anno Christi DXCVIII. vt habet Theophanes Græcus MC. & ineditus. Alij VI anno Phocæ obijsse scribunt. Christi DCVIII. Nicephori Chronicon inter patriarchas numerat XLVII. Anastasius LI. Lucubrationes eius laudat * Photius Bibl. Extant multæ D. Gregorij P.M. ad hunc epistolæ.

** p. 213. 272. 870. 437. 394. 400. 401.*

2. Intercessit tamen inter Eulogium & Ioannem Theodorus Scribo. Ioannes porro Cyprius, dictus postea Eleemosynarius, cuius facta omnium ore & scriptis celebrantur.

3. Laudatissima hæc inter Leonis P. M. epistolas est decima quam in VI. Annali totam posuit Card. Baronius cum Illustribus elogijs pontificum & Conciliorum. Encyclica fuit, data ad Flauianum patriarcham Constantinopolitanum. Narrat Sophronius seu Io. Moschus in suo Limonario mira de hac Epistola Leonis ex relatione S. Eulogij. Epistolam à Leone conscriptam, ab Apostolo Petro deprecatu eiusdem Leonis emendatam.

6. 147. 148. 149.

4. Paullo aliter eandem narrat historiam Theodorus Episcopus Darnæ in Libya, apud Sophroniũ C. CXLVIII. Cum essem, inquit, cubicularius &c. Sed error de Archidiacono potuit irrepsisse, quod D. Iulianus Martyr per noctem apparuerit S. Eulogio habitu Archidiaconi Iuliani Alexandrini, de quo ita Sophronius. *Cum essemus in eodem cœnobio, narrauit nobis Abbas Menas cœnobij ipsius pater de*

146.

sancto

sancto Papa Alexandrino Elogio, dicens? Nocte quadam cùm sibi matutinam laudem celebraret in Episcopatus oratorio, vidit prope se assistere Iulianum Archidiaconum. Quem vt vidit turbatus est, cur fuisset ausus ingredi, nihil illi nuncians. Tacuit tamen. Et cùm implesset psalmum, prostrauit se humi. Fecit hoc ipsum & is, qui in specie Iuliani Archidiaconi apparuerat. Deinde cùm oratione facta, surrexisset Patriarcha, ille nihilominus in pauimento iacebat. Conuersus autem Pontifex dicit. Quandiu nõ surgis. Ait: Nisi mihi ipse manum porrigas, & erigat me, surgere non possum. Tunc extendit manum suam Eulogius, ac tenens erexit illum, cœpitq; iterum psallere. Post paulum autem conuersus neminem vidit. Cùm igitur implesset matutinas laudes, vocauit cubicularium suum, dixitq; illi: Cur nõ annunciasti mihi Archidiaconi ingressum, sed ita non nunciatus intrauit ad me hoc nocte? At ille neq; vidisse aliquem neq; ingressum esse asseuerauit. Non credidit Patriarcha, sed ait: Voca mihi huc ostiarium. Cui venienti ait: Nonne ingressus est huc Iulianus Archidiaconus? Ille verò cum iuramento affirmabat illum neq; ingressum neq; egressum esse. Tacuit quidem tunc Patriarcha. Manè autem facto, ascendit Archidiaconus Iulianus, vt adoraret, dixitq; illi Pontifex: Quare non seruasti ordinem, Archidiacone Iuliane. sed absq; nuncio, ascendisti ad me nocte ista? ait: Per orationes domini mei, neq; huc ascendi, neq; de domo descendi, nisi hora ista tantum. Intellexit tunc magnus Eulogius, Iulianum se vidisse, martyrem, hortantem se ad erectionem templi sui, quod ex tempore ferme resolutum, & antiquatum ruinam sui minabatur. Magnaque cum alacritate amantissimus martyris porrexit manus, eiusq; erexit templum, à fundamentis ipsum instau-

instaurans & omnigeno ornatu illustrans, vt sacro martyri conueniebat.

1. Martij.

S. DOMNINA.

COpiosis religiosisque hæc orba parentibus ab ipsa infantia sese Deo consecrauit, exercitationi virtutum, corporisque afflictatione penitus addicta. Ergastulum quippe in materno conditum horto incoluit, neque solum assiduo lacrymarum imbre genas rigabat suas, sed veste cilicina (nam huiusmodi cultum adhibebat) sese atterebat. Circa gallicinium, ædem sacram ingressa, cum toto populo Domino vniuersi laudes debitas, statasque persoluit. Victum ei præbebant lentes aqua maceratæ. Et hoc asperæ vitæ genere vsa est semper, quamuis extenuato semimortuoque esset corpusculo. Caput tam studiosè obnubebat, vti nec illa alius, nec alius illius vultum contemplari posset. Vestes ad pedes vsq; promittebat. Ad se adeuntes ita tenui & submissa voce alloquebatur, vt ægrè audiretur. In his pietatis studiis, dies noctesque versata, ad desideratum sponsum suum Christum cum fructu operum suorum est translata.

ANNO-

ANNOTATIONES.

OBserua verecundiam virginis, quæ velabat caput, ne læderet illa alios, aut ab aliis læderetur. tradit Ioannes Moschus Euiratus c. 78. virginem quandam mortuam à sepulchrorum quodam violatore vestibus exutam, à qua mox ille sit in ipso tumulo comprehensus, & grauissimis verbis increpitus, cum illi virgo summi iudicis supremum tribunal diu minitata esset, tandem subiecit. *Quam infelicissime hominum, rationem redditurus es Christo de scelere in me perpetrato, ante ipsius tribunal tremendum, quod cum, viuente me, nullus extra domesticos meos viderit faciem meam, tu post mortem in ipso tumulo me nudaris.* tu lege quæ ibidem sequuntur.

S. autem Domninæ meminit Menologiũ quoque 1. Martii.

S. CONON ISAVRICVS.

5. Martii.

VIxit hic SS. Apostolorum æuo, Bydana vico profectus, Nestoris & Nadæ filius, cui cum parentes sponsam in matrimonium dedissent, cum illâ virginitatem maluit colore. Ferunt hunc à D. Michaele cœlestium legionũ principe, ad Christianã legem, vt & in vitæ auctricis Trinitatis nomine Baptismum susciperet, & mysteria sanctissima (Eucharistię) perciperet, informatum, virtuteque miraculorum donatũ.

De tribus aliis Cononibus Io. Euiratus c. 3. 15. 22. Nõ est hic ex illis, nec ille Martyr Cypri⁹ de quo tamẽ Menæa hoc eod. die & Menol. 8. Martii.

Hinc

par coniugum Virgineum.

Hinc Annam (hoc enim erat ei nomen) coniugem suam induxit, vt secum iuxta illibatum virginitatis florem custodiret. Parentibus prius ad Christi fidem & baptismum perductis. Vnde & patri auctor fuit vt ob martyrii lauream non dubitaret pro Christo emori. Idolorum vero cultores Diis sacrificaturos, deterrimo & atro tartari monstro in antro quodam tradidit, & vt Christum conditorem mundi agnoscerent, ipso dęmone palam affirmante se Deum nō esse, effecit, ita vt ingens multitudo acclamaret, vnus Deus est Cononis, quæ vox hodieque apud Isauros in illius Sancti celebritate magnificè prædicatur. Tantam porro vim & potestatem in dæmonas accepit, vt aliis agros committeret, & frugum custodes poneret, alios autem testis obsignatis inclusos, in ædis suæ ædificandæ fundamentum defoderet. Sed martyrii illius modus hic fuit. Præside Magno ditionem illam Bydanæ cum imperio obtinente, sanctus Conon comprehensus, & ad præsidem adductus, cum Christum Deum verum publicè pronunciaret, atrociter cæditur. Sed cum populus ad eum eripiendum certatim concurreret, & præsidem aggrederetur, profugit ille, turba vero sanctum à palo soluit,

eius-

eiusque vulnera abstersit, & in suam ipsius domum deduxit, vbi transacto biennio ad Dominum migrauit. Aiunt post ipsius è vita decessum, ædes eius in templũ versas, testasq; illas, quibus malos genios incluserat, repertas, quarum vnam, cum resignassent, quod thesaurum ibi latere ob pondus arbitrarentur, statim fulminis instar erupisse dæmonas, vt omnes exanimati conciderent, & quidquid instauratum erat, procumberet, nemoq; omninò post occasum solem auderet ad locum illum aspirare. Sed non diuturna fuit hæc dæmonum tyrannis, quam per sancti viri preces, cum populus sese votis, vigiliis & ieiuniis dedisset, mox depulere.

ANNOTATIO.

ENumerauimus supra p. 72. & seq. nonnullos qui in matrimonio vel perpetuam, vel ad multos annos coluere virginitatem & castimoniam. Addes illis, præter hũc Cononem, Eduardum Angliæ regem, DD. Iulianum & Basiliscam: S. Antigonum & Euphrasiam: S. * Apenianum & Melaniam.

* *al Pinianus.*

S. ANASTASIA PATRICIA.

10. Martii

L Iusti-

IVstiniano imperante, fuit matrona Constãtinopoli, quam Anastasiam dixere, singularis Dei cultrix, generosis & opulentis nata parentibus, inter palatinas imperatoris patricia.

Quæ inprimis cœleste numen reuerita, præcepta eius diligenter custodiebat, constanti fæmina animo, & adeo ad clemẽtiam & mansuetudinem propensa, vt omnes ex eius virtutibus magnam animo caperent voluptatem, ipseque imperator mirè erga illam afficeretur. Sed quia sator scelerum semper consueuit virtuti excellenti inuidere, & obtrectare, nec potest quietem & cõcordiam animorum ferre, factum est, vt & hæc in inuidiam apud Imperatricem adduceretur; quod cum illa per quendam resciisset, vt quæ Deo Deique sapientia plena, suis ipsa cogitationibus in consilium vocatis seipsam alloquitur. Anastasia, opportuna data occasione & causa, seruans serua animam tuam, Imperatricem inuidiâ, quam uis stolidâ, libera, & tibi ipsi cœleste imperium procura. Hæc cum apud animum suum deliberasset, conducto nauigio, parteque aliqua auri secum accepta, cæteris omnibus relictis, Alexandriam venit, vbi in Quinto (ita locus appellatur) condito cœnobio,

nobio, telam cœlestem cœpit texere, & hoc vnum studere, vt Deo se probaret. Et visitur hodie monasterium illud, quod & ab eius nomine, Patriciæ cœnobium dicitur. Verum cum aliquanto post tempore, Imperatrix mortem cum vita cõmutasset, regressus Imperator in memoriam patriciæ, in omnes oras quaqua versus mittit, qui illam diligentissimè inquirant. quod vbi rursum illa Dei agna sensit, relicto sub noctem monasterio, in Sceranam properauit solitudinem ad Abbatem Danielem, vitæq; suæ statu beatissimo seni exposito, virilem ab eo induta vestem, dictaque pro Anastasia, Anastasius eunuchus, deducta est in antrũ quoddã admodum à Laura remotum, ibiq; inclusæ, leges viuendi Daniel præscripsit, interdixitque ne vnquã è cellula sua pedem efferret, neque quemquam vnquam ad se admitteret; Vnique ex fratribus discipulo locum designauit, qui hebdomadatim illi vas aquæ deferret, atque ante ædiculam eius deponeret, & mox accepta ab ea pia imprecatione recederet. Ergo adamantina & inuicta illa generosaque anima, octo & viginti annos, per neminem adita visaue, à præscripta Danielis normâ ne latum quidem vnguem discessit. Quæ iam mens, quę

vox, viginti octo annorum ſtudia, in virtutum exercitatione poſita, vel animo complectatur, vel oratione exponat, aut in literas & ſcripta mittere poſſit, quæ illa quotidie Deo per ſe ſola obtulit! illas lacrymas, inquã, & gemitus ac planctus, illa peruigilia, vota precesq; , illas ſtationes, & geniculationes, illam abſtinentiam & ieiunia! Et præ cunctis præter cuncta alia, cacodæmonum congreſſiones & inſultus, corporis repreſſas voluptates, obiectas animo voluptatum formas, & quæ ſunt eiuſdem è contrario momenti, illam ab omni ſocietate & acceſſu hominum tot annis penitus excluſam fuiſſe, matronam ſenatorii ordinis, in palatiis regiisq; imperatorum ſemper verſatam, in tantis virorum fœminarumq; turbis iactatam! Quæ omnia vltra modũ animum mentemque noſtram percellunt. Ergo in hac palæſtra tanta cum laude exercitata, Spiritus ſancti tabernaculum effecta eſt. Cum verò diuinitus ſibi extremum vitæ diem inſtare didiciſſet, ſcripſit in teſtula ad Danielem Abbatem epiſtolium in hæc verba. Venerande pater, adduc tecum quã primum alumnum illum tuum, qui mihi ferre aquam conſueuit, ſumeque inſtrumẽta ſepulturæ, & veni vt cures funus Anaſta-

ſii eu-

sii eunuchi. Scripto hoc epistolio, & pro foribus cellæ suspenso, Daniel per nocturnam speciem edoctus, discipulum alloquitur: Propera, inquit, ad spelæum in quo frater noster Anastasius eunuchus degit, & animaduertes ad speluncæ ostium pendere testulam literis exaratam, quam ad me reuersus, quã potes celerrimè deferas. Abiit frater, retulitque. quod cum pater legisset, illacymans cum discipulo, rebus ad fodiendum tumulum comparatis, ad locum est profectus, apertaque cauerna offenderunt eunuchum febrientem; Hic pater in pectus illius procumbens plorauit, & felix es, inquit, frater Anastasi, quod de hac hora semper solicitus, terrarũ regna cõtemseris. Nobis ergo tuis votis Dominum propitia. Tum illa: Ego potius, inquit, pater in hoc articulo vitæ, multis precibus indigeo. Et senex: Si ego ante te diem meum obiissem, rogassem pro te cœleste numen. Tum residens in tegete Anastasia, senis caput osculata, benè precata est ei. Et pater alumnum suum ad pedes illius collocauit, &: Benedic, inquit, huic discipulo meo, filio tuo. Et illa: Deus, inquit, patrum meorum, qui in hac hora migrationis meæ ex hoc corpore, mihi astitit, qui nouit statum vitæ meæ

in hoc antro, propter nomen ſuum, & hũc morbum, & ærumnas meas faciat, vt quieſcat ſpiritus patrum ſuper eum, quemadmodum requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſeum. Et verſus ad patrem eunuchus, per Dominum, inquit, rogo te pater, nolite mihi poſt mortem detrahere veſtes, quibus tegor, nulliſque aperias conditionem ſexus & ſtatus vitæ meæ: Perceptisque ſacris (Euchariſtiæ) myſteriis, ſigna me, inquit, ſigno Chriſti, & preces ad Deum pro me fundite: reſpectansque verſus orientem perinde vultus illius in ſpecu radiauit, atq; ſi illi lampas aliqua præferretur. Signauit deinde ſe ſancta cruce & dixit: in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. vnaque cum dicto animam exhalauit. Et tumulo ante cellam effoſſo, pater exuta quã ferebat veſte, age, inquit ad diſcipulum, indue fili, fratrem defunctum à ſuperiori parte, illa quam geſtauerat veſte. Quod diſcipulus cum faceret, apparuerũt quidem papillæ Anaſtaſiæ, velut arentia folia, nec tamen quicquam patri renunciauit, ſed humato iam corpore, cum reuerterẽtur: Noſtin, inquit diſcipulus, pater, illum eunuchum fæminam fuiſſe? Et ſenex: noui, inquit, fili, ſed ne res vndique propalaretur de ea,

de ea, ob eam causam virilem illi cultum indui, & Anastasium eunuchum appellaui vt extra omnem esset suspicionem. diligentissimè enim ab Imperatore per omnes oras & regiones, maximè verò in his partibus inuestigabatur. Sed ecce per diuinam gratiam apud nos securè latuit. Deinde totum vitæ cursum, & quæ, quantaque fuisset, gessissetque matrona, singulatim enarrauit.

ANNOTATIONES.

ILlustrissima fuit hæc matrona Pompei consobrini Imperatoris Iustiniani, vxor, Iulianæ illius prędiuitis cognata, de qua Cyrillus historicus æuo Iustiniani. Metaphrastes 5. Decemb. in vita S. Sabæ. C. Baronius Annal 7. A. C. 527.

S. SOPHRONIVS HIEROSOLYMORVM ARCHIEPISCOPVS.

11. Martii. A. C. DCXXXIV.

HIc, maximũ Ecclesiæ sidus, ex Phœnicia thurifera, vrbe Damasco, originẽ traxit, piorum & frugalium soboles parentum. Patri nomen erat Plinthas, matri Myro. Sophronius per ingenii vim aliàs præstantem, studio tamen & cura auctam,

mox ad omnium scientiarum culmen vltra fines naturæ quasi euasit. Cum ad huc Damasci degeret, virtutem tamen eorũ qui in solitudine versabantur, æmulabatur. Deinde ad M. Theodosii cœnobium se contulit, vbi in quiete & silentio cum Deo familiariter agebat, & pectus diuinarum literarum meditatione, mentemque constabiliebat, cogitationesque omnes & sensus in obsequium Christi redigebat. Præterea cum maiori adhuc studio discendæ philosophiæ arderet, Alexandriam vrbem nobilissimam nauigat, ibique Ioannem quendã sapientiæ & prudentiæ laude florentissimũ clarissimumque virum conuenit, cuius & contubernalis, & conuictor, sociusque factus, cum quo concordi plane animo vixit, à quo & ipse sapientiam hauriebat, & vicissim quæ norat magistro suo impertiebatur. Factum inde (ex assidua lectione) vti nescio quæ nox & caligo oculos eius occuparit, sed à SS. Cyro & Ioanne diuinitus curatus est, qui aliud sostrum ab eo non petiuere, quem vti quotidiana per eos patrata miracula literis consignaret, quod præstitit diligenter. Postea Hierosolymorum pontifex ob singularem vitę sanctimoniam creatus est. Sed ciuitate sancta ab impiis

Persis

Persis capta, Alexandriam se ad Ioannem qui ab eleemosyna nomen inuenit, & thronum Apostolicũ administrauit, profectus est. In cuius beatâ pace sopiti mortem, hic Sophronius de immenso ipsius eleemosynarum thesauro excellentissimaque virtute funebrem laudationem scripsit, ipseque multis lacrymis ipsius obitum est prosecutus. Postea verò quam in sanctam ciuitatẽ reuertit, exprimi non potest, quanta cura, laboreque Ecclesiam sibi à Deo commendatam rexerit. *Somnum enim oculis non dedit, nec palpebris dormitationem*, neq; enim contra vim impetumque hostium æternorum, sed contra hæreticorum quoque exitialia dogmata illi depugnandum erat, quos scriptis & traditionibus patrum in viam reuocabat, suisq; ipse disputationibus exarmabat & frangebat, aliaque plurima & nobilia ingenii monumenta ad Ecclesiæ vtilitatem reliquit, quibus & cum virtute viuere, & ex præcepto diuino tractare præsentia docemur. Ex quorum numero est liber ille omni admiratione deprędicandus, quo res gestas Mariæ Ægyptiacæ, cum angelis merito comparandæ, & vltra humanæ vitæ modum progressæ explicauit. Hæc illius viuendi ratio, qua se probauit,

bauit, alios erudiuit, Christo linguam vicariam exhibuit, commissumq́, sibi gregem rexit, & intra triennium pontificatus beata potitus pace, ad Dominum est translatus.

ANNOTATIO.

HVius acta Theophanes in historia sua complectitur, & Baronius Annali 8. multis locis refert. An est is cui Ioannes Euiratus inscripsit Limonarion seu pratum spirituale, & quem Photius in bibliotheca laudat? Ita C. Baronius affirmat, qui non pauca de hoc in Martyrol.

15. Martii.

S. MENIGNVS FVLLO.

Menologium & Martyrol. Rom. eod. die.

DEcii Imperio sæua in Christianos extitit tempestas. Qui Asiam prouinciam procurabat, exitialis erat, & ingenio ferociſſimus. Ergo cum oram maritimam obiret, quoscunque ibi ex Christi disciplinâ reperit, cæsos flagris, robore inclusos, opaco carceri mancipauit. Nocte appetente omnes in vinculis simul in has voces eruperunt: Domine rex cœlestis, qui principem Apostolorum tuorum Petrum, olim per angelũ à vinculis & custodiâ per quietem sine tumultu liberasti, nobis quoque auxilium

auxilium præsta, & eripe nos ex his pedicis & cœco carcere, vt & ij qui nomen tuum contemnunt, intelligant, te solum Deum & sempiternum esse Imperatorem. Hæc illis precantibus, adstitit iudiciorum pręses Dominus, pulsisque tenebris, splendore totum carcerem illustrauit, illosque compellauit: fidite, & ne formidate: ego enim vobiscum sum: & repente vincula, non secus ac cera, defluxêre, carcerque sponte patuit: Et Dominus adiecit: abite hinc, & prædicate vbique gentium potentiam meam, atque ita in cœlum rediit. Illi verò egressi sunt ex carcere. Mane custodes omnes carcerem ingressi, cum salua signa portæ offenderent, neminem tamen intus cernerent, egressi: O potentiam, exclamant, Christus Nazarenus de nocte ingressus, omnes vinctos nobis clam eduxit. Et erant qui admirabundi obstupescerent, alii custodes irridebant. Hæc cum B. Menignus audiret admiratione captus, cœpit & ipse credere, & Christi amore inflammari: fullonam enim exercebat, & cum labes vestium olim ad flumen elueret, audiuit vocem ad se deferri, Menigne ades, magnâ te gratiâ beabo; territus voce & confusus, paulo post profecutus est opus: & vox denuo

nuo aures eius circumsonat: Menigne ades, vt videas thesaurum repositum iis qui diligunt nomẽ meum. Hic Menignus verbum non amplius adiecit, sed mox abiit, vestesque suo suas cuiq; domino reddidit, & se comparauit ad præsidis aduentum; qui cum post non multos dies ad eum locum veniisset, & pro tribunali sediisset, auresque quiritantibus præbuisset, recognouit etiam Imperatoris contra Christianam religionẽ edictũ. Tum hic planè diuinus Menignus generosissimè in medium prosiliens, extortum è manibus prætoris decretum in mille partes discerpsit, pedibusq; proculcauit. Quod cum cernerent prætoris deterrimi deteriores satellites, in terram prostratum, proculcatumque atrociter conciderunt. Ergo iam prope exanimato verberibus, præses de tribunali consurgens, O sceleſtum caput, inquit, qua fretus audaciâ hoc designasti? Et sanctus: Christo meo: Et præses: arripite hunc stolidum, contumacem, & refractarium, suspensumque equuleo laniate, & fodicate assiduè, vt videamus, an Christus illum ereptũ sit venturus, adeoque fœdè lacerarunt illum vngulis impii, vt intestina omnia per latera apparerent. Prætor interea velut theomach⁹,

semper

semper martyri patienti, Deoq; maledicta ingerebat. Sed sanctus precabundus omnia tolerabat, vltroq; tyranno insultabat.

Tunc præses in furorem actus, agite, inquit, digitos, qui Imperatoris decretum discerpere ausi, detruncatos minutatim concidi impero. E vestigio igitur articulos ad vsque metacarpion resecant, qui pro sanguine lacteum liquorem profudere. Retrusum dein in carcerem postero die in iudicium adduxere. Sed S. martyr Christum publicè professus, & imperatorem detestatus, præsidi etiam illudebat, cunctosque in admirationem adduxit. Lata tandem capitis sententia est, vt gladio puniretur. cum ad supplicii locum tenderet, secuta virum prosecutaque lacrymis coniux, & ingens hominum copia. In loco iam supplicii sanctus cum excelsus staret, populum ad fidem cohortatus est, vxorem tutoribus commendauit, & sacrosanctum caput feriendum præbuit. Vbi miraculum ingens spectantibus visum, nam, candidam columbam ex ore sancti martyris in cœlum euolare viderunt, qui spectaculo perculsi omnes exclamarunt; Magnus profecto Deus Menigni, quo populi clamore tota ciuitas contremuit, ita vt proconsul etiam trepidaret.

Sed

Sed vbi causam facti didicit, præcepit vt insepultus relinqueretur. Videbimus, inquit, an Deus illũ suus sepultura dignaturus sit; appoſueruntque excubitores, qui sacros eius exuuias corporis custodirent. Sub noctis verò conticinium, germani illius omnibus custodibus somno sepultis, truncum corporis illius ad locum à S. Martyre desideratum transtulerunt, ipsiq; fratres somno ibidem correpti obdormierunt, vbi vni ex illis visus Martyr, capitis, inquit, mei quo Christum confessus sum, properandi studio obliti estis. Experrectus ille narrauit aliis, quæ sibi à fratre dicta essent, & per densam noctem remensus iter, anceps quid faceret, hæsit; sed vbi ad locum in quo cęsus erat peruenit, illustre sidus super Martyris verticem apparuit. Accepto ergo capite gratulabundus ad fratres remeauit, quos porro progressuros prohibuit martyr, qui nobiles reliquias ibi reponi iussit; quod sit ad laudem Dei nostri, cui gloria in omnes æternitates, Amen

16. Martii.

S. ANINAS ANACHORETA THAVMATVRGVS.

Hic

HIc S. noſter Pater à prima ætate, nullo magiſtro, ad manſuetudinem & vitam quietam propenſus, latere ſtuduit, & ſibi vacare.

Sedecennis enim vtroque parente orbatus, relictis omnibus, ſolitudinem petiit, repertoque viro quodam religioſo, cui Maiumano nomen erat, paupertati in paucis deditiſſimo, ſeſe illi addixit, pariterque cum eo peruigilabat, & precabatur. Tanta amborum erat abſtinentia, vti ſæpè, per dies quadraginta, quod eſſent, ex inopiâ non haberent. Et cum tam artè contenteq; viuerent, perinde tamen atque ſi inter cupedias regias degerent, oblectabantur. Sed aliquanto poſt tempore, huius (Aninæ) inſtitutor & magiſter, ab eo cogitabat diſcedere, quod & fecit. Hic verò perbeatus ad illum: Da veniam venerande pater: mihi non eſt animus hinc recedere. nempe, quo Deo duce peruenerat, ibi perdurare decreuit. Exibat tamen ſæpius ad interiores eremi ſaltus, ad viginti vel triginta dies, ſuamque poſt liminio cellulam repetiuit, & cum omninò cupiditates corporis mactauiſſet, viciſſim illi Deus præſtitit, vt obſequentes haberet feras. Nemini enim obſcurum erat, geminos illi leones quocunq; ſe con-

ἐκ ἤθους legendum.

Idē B. Gerasimo nō Hieronymo, vt vulgus censet, alijsq; accidit. I. Moschus Eutratus c. 107. & alijs.

se conferret assiduè comites fuisse, cumque ex illis alter pedem spina induisset, beatus extracto paliuro, pedem diligenter obligauit & curauit. Iam fama passim de illo increbrescente, ingens hominum, vitorum iuxta ac fęminarum copia, qui secum ægros deducebant, ad eum confluxit, quos ipse, quocunque morbo laborarent, per inhabitentem Spiritus sancti gratiam, solis precibus restituit. Prætermissa igitur in interiorem solitudinem excursione, in cellulâ suâ permansit. Sed aqua incommodè suppeditabat, ex Euphrate enim, qui milliaria quatuor aut quinque aberat, petebatur. Ac prius quidem ratò deferebatur, nec enim erat necesse. Sed vbi vis hominum tanta concurrit, visum est Sancto aquam ad vsum peregrinantium prouidendam. Cisternam ergo modicam effodit, in quam cælestem aquam colligeret. Enimuero cum illa angustior esset, & multitudo peregrinorum fontem exhausisset, aliaque turba superueniret, & ministro vt aquam hauriret, imperaretur, intelligeretque Sanctus, nec vnum quidem scyphum impleri amplius posse, q̄ iam pridem fons exhaustus esset, sublatis in cœlum oculis, imoq; ex pectore suspirans, hilari mox vultu ad ministrum, age abi, inquit,

quit, fili, ego tibi Domini impero nomine, vt haurias, & aquam ſubminiſtres. paruit ille, &, ò miraculum obſtupeſcendum, ciſternam aqua plenam redundantemq; inuenit, eoque rem proclamante, mirificiſſimum factum omnes oculis inſpexerunt, & deſilientes, recentemque & limpidiſſimum laticem hautientes, præ ſtupore attoniti laudes Deo immenſas gratulati ſunt, qui diligentes tanta gloria afficeret. Huius miraculi triumphum, vt Sanctus opprimeret, ipſe cœpit fontem ex Euphrate poſtea, quemadmodum & ante conſuerat, ſupportare. Per ſingulas ergo noctes æternus illi labor erat, vt aquam ex Euphrate deferret. Cumq; rurſum alio tempore frequentiſſimus populus adeſſet, & puteus ſiccatus eſſet totus, (venerandus) hic ſenex, arrepto vaſculo ad flumen properauit, nec dum ad iactum lapidis progreſſus reuertit, vt ij qui aderant, exiſtimarent illum ob corporis inualetudinem regreſſum, occurrunt ei, vnoque hydriam ex manibus extorquente, vt ipſe aquam ex Euphrate hauriret, cum aduerteret, videretque vrceum aquâ plenum, magna voce exclamauit. Date gloriã Deo: ex bracchiis patris aqua viua promanauit. Accurritur certatim, ſpectatáque hydria,

frigidâ plena, ſupra modum admirati, ad pedes eius ſe prouoluerunt, precati ne ſuâ causâ tantum laboris aquæ ferendæ amplius ſubiret. Quod niſi, inquiunt, hoc miraculum accidiſſet, omninò ex ipſo Euphrate aquam delaturus eras. Sed perbeatus ille viciſſim & ſe in terram abiecit, ſeſeq; puluerẽ & cinerem, ac vermiculũ poſtremiſſimum appellitabat. Tunc Cæſareæ pontifex, cum intellexiſſet aquam ab ipſo Sancto portari, iumentum ad onus ſubeundũ, ſenemque liberandum eò deſtinauit. Interim inopia quidam, & ære alieno oppreſſus ad virum S. venit, ſuamque illi calamitatem expoſuit. Hic cum nihil quod daret, haberet, nec vacuum tamen vellet à ſe dimittere: aſinum, inquit, hunc vende, & creditori ſatisfacias. Epiſcopus cum hoc reſciſſet, alterum donauit, &, hoc inquit, iumentum non ad tuum tibi arbitrium permitto; ſed vt aquam ferat, cumque mihi illius vſus erit, illud abs te repetam. Paulò poſt venit alius rogator, qui cum ex Sancti inopiâ nihil quod acciperet, videret, aſinũ accepit. Hoc rurſum Epiſcopus edoctus, nouam hydrothecam effodit, quã ſubmiſſis iumentis aquâ repleuit, iuſſitq; iumenta ſibi per ſeruos reduci. Erat per id tempus

in ea

in ea viciniâ Stylita quidam percelebris, cui cum altero quodam, impulsu dæmonũ, lis erat & pugna, ita vt lapide quoque peteretur & læderetur Stylita, qui irritatus cœpit velle iniuriam vltum ire, ac de statione columnæ suæ descendere, perturbatoresq; vindicare. Quod Aninas verè homo Dei cum diuinitus cognouisset, per leonẽ scriptam misit epistolam. Stylita viso leone grammatophoro, ingenti perculsus est terrore. Discipulus autem acceptam à leone epistolam Stylitę reddidit, quam cum legisset, paruit ille admonitioni, vindictâque Deo permissâ, rescripsit per leonem beato Aninæ, magnas se Deo & seruo eius agere gratias.

Matrona graui morbo vexata ad virum sanctum contendebat, cui cum in itinere barbarus occurrisset, stuprum inferre nitebatur, quem illa solo Sancti appellato nomine cicuratum à sententia deduxit, qui cum explicata manu hastam, (quam antea defixerat in terram, quam illam aggrederetur,) reperisset iam radices egisse, inusitato prodigio attonitus, & ipse ad sanctum virum aduolauit, à quo in Christiana lege institutus sacrum baptisma suscepit, mansitque cum viro sancto, & sanctissimè vixit.

Fęmina porro curata, lętitia gestiens reuertit. Multa alia supra vim naturæ memoranda designauit Sanctus, quæ ne fastidium crearemus lectori, quamuis inuiti prætermimus. Quinque ergo supra nonaginta annos in hac virtutis palæstra versatus, cum nunquam ab ea declinasset, nec locum mutasset, ad decimum vltra centesimum ætatis annum peruenit, multis variisque editis vaticiniis & prædictionibus, quas omnes euentus ipse comprobauit. Tandē magno fratrum cœtu collecto coactoque, vnū virtute cæteris præstantiorem selegit: & hūc, inquit, Deus pastorem in meum locum designauit. simulq; manu indigitabat & complectebatur, omnibusque benè precatus, post dies septem ad Dominum abiit die sexta decima Martii.

24. Aprilis

Sa. THOMAIS MARTYR.

HÆc Alexandrina fuit, à parentibus, ad omnem honestatem erudita, literis imbuta, tandemque viro nupta, apud quem prudenter se & commodè gessit, magnaque cum laude honestatis & temperantiæ vixit. Cum ergo in ædibus mariti dege-

degeret; ſocero Thomaidis, qui nurum in domum cum filio acceperat, animorum perditor Diabolus impuras contra nurum cogitationes immiſit, ita vt inceſtare filii coniugem omninò conaretur, remque ad opus deducere. Sed cum beata Thomais multis verbis improbum ſenem à ſcelere dehortaretur, atq, infimis precibus deprecaretur, ne pudorem ſibi vellet extorquere, fruſtra tamen fuit. Impulſus enim vel potius à malo dæmone occæcatus, & inflã-matus arrepto gladio nurum ſuam cædit, rectaque mediam findit, quæ mox animam edidit, ac pro caſtimoniâ interfecta, martyrii lauream retulit. Socer autem extemplo cæcitate percuſſus, domi oberrabat. Adſunt interea qui filium eius quærunt, reperiuntque funus coniugis in terrâ fuſum, & ſenem ſocerum circa parietes reptantem, atq; hinc inde offendentem, & in ædibus ſuis cæco veſtigio inerrantem, rogant, quid id ſpectaculi ſibi velit? fatetur ſenex facin°, ſeſeque parricidii reum accuſat, additq; & rogat, vt ab iis ad magiſtratum deducatur, à quo capitis ſententiâ damnaretur. Faciunt illi, quod ſenex rogarat, eumque ad tribunal prætoris ſiſtunt, qui cognitâ causâ, gladio in ſenem animaduertit. Hæc cum

Diſce Lucretia: Ante ſcelus, caſtæ mors patienda fuit.

Daniel Scitani cœnobii archimandrita accepiſſet, Thomaidem in Scetam deportari curauit, ibiq; in ſuo cœmeterio humauit, vt quæ pro pudicitiâ ſanguinẽ profudiſſet. Fuit autem in Scetanâ domo, qui telo cupidinis ictus, ad libidinem vehementer incitabatur, is cum ad beatæ Martyris reliquias, & tumulum acceſſiſſet, ſeſeque oleo ex .·. lucerna delibuto inunxiſſet, acceptâ per nocturnam quietem, qua martyr illi viſa, cœleſti imprecatione, experrectus, ſe penitus ab omni libidinis affectu expeditũ ſenſit. Ex quo tempore illius cœnobii ſodales, ſingulare præſidium in hoc corporis conflictu per beatam Thomaidem acceperunt.

.·. ἐκ τῆς φωταγωγῆς.

19. April. S. THEODORVS M.

ANtonino rem Romanam adminiſtrante, præſide Pergæ Pamphyliæ Theodoro, flos iuuenum multorum, formâ & oris dignitate præſtantium in militiæ rudimentũ & tirociniũ conſcriptus, quos inter & hic beatus Theodorus ad ducẽ eſt deductus. Accinctus ergo militari more, & ſigno Martis, quemadmodum & cæteri, inſtructus, ipſe mox ſignum abrupit: Ego, inquit, ab ipſo

σφραγίδος

abipso natali meo per Iesum Christum imperatorem meum insignitus, apud nullum alterum imperatorem sacramentum dico. Et præses, eccui, inquit, imperatori militasti? Et Sanctus; illi, qui cœlum terramq; architectatus est: Et præses: Et tu Diis nostris non litabis? & Sanctus: impuris cacodæmonibus litaui nunquam. Tum cædi illum præses imperauit: cæsusque, rursum interrogatur à præside: Numquid nunc tandem modestè ad quæsita respondere didicisti? Vtinam; inquit Sanctus,& tu conditorem nosses tuum & adorares. Tum in candente craticulâ distentum diuinum martyrem, cerâ, pice, ∴ resina perfundunt. Atque illi quidem hæc agebant. At Deus ingens quoddã prodigium errorum nocte confusis ostendit. Nam ingenti terra mugitu recluſa discessit, vndamque emisit, quę (ô miraculum obstupescendum) flammam & craticulam totumq; penitus rogum extinxit. Sanctus verò surrexit, & præsidem compellauit. Hoc, inquit, quod ipse coram spectasti proconsul, non est opis meæ opus, sed Christi mei quem supplex colo. Quod si ergo vicissim iuuat explorare tuorum potentiam numinum, aliam excita pyram, sternaturque in ea de militibus vnus, in ho-

∴ ἄντρον locus suspectus.

rum nomine; tunc intelliges Dei mei immensam potentiam. Et milites, nequaquã, inquiunt, hoc feceris Domine, sed ex sacrificulis Deorum quempiam arripe, & cratibus ignientibus impone, forte an illũm, vti mysten suum exaudient. Et præses: adducatur, inquit, Flamen aliquis; adductum compellat præses: Quod, inquit, tibi nomen? Dioscorus, inquit sacrificulus; Quo, inquit proconsul, carmine excantant Vulcanum Christiani? nam Theodoro huic flamma labem nullam intulit. Et Dioscorus: Christiani, inquit, magi & præstigiatores non sunt, sed simulac Christi nomen pronunciatum est, omnes præstigiæ & veneficia pelluntur & dissipantur, ipsiq; Dii inferi contremiscunt. Et præses: potentior ne sit Christus Ioue? & Dioscorus: Iupiter, inquit, & cæteri Dii, surda sunt idola, inanimaq; simulacra. Obsecro ergo te ne me coge craticulam conscẽdere, sed si lubet Iouis vires experiri, ipsum Iouẽ craticulę impone: & prędses quis audeat hoc facere? ego, inquit Dioſc. te imperante hoc faciam, & si fulmẽ in me torserit, ego potentem credã & profitebor. Et prędses: hactenus nõ fuisti Iouis sacerdos? quid hoc dicis? & Dioscor⁹ per mẽtis, inquit, errorem & insaniam fui, sed cũ

viderem

viderem hunc beatum Theodorum à te vinci non potuisse, per eum ego in Christi fide sum constabilitus, nec iam aliud desidero, quam vt illius commilito fiam: & præses: quando, inquit, ita sentis, ascende rogum. Tunc Dioscorus ad genua S. Theodori prouolutus: precare, inquit, serue Dei pro me Deum: precante ergo S. Theodoro Dioscorus in ferreâ crate extenditur, Deumque laudando, ingenti voce exclamat: Domine Iesu Christe Deus Theodori, te laudo, tibi gratias ago, suscipe spiritũ meum in pace. His dictis animam Christo edidit. S. verò Theodorus comprehensus in vincula reducitur, posteraque luce ad ferocium equorum pedes religatus, & ad carpentum restrictus, susque deque raptabatur. Sed equi tandem ex præruptis præcipites acti interierunt: S. autem Theodorus cœlesti occultâque vi vinculis exertus, incolumisque seruatus, omnes admiratione perculsit. Vnde socrates & Dionysius, qui Theodorum ad currũ reuinxerat, sanctissimè affirmarunt, sibi equis quaqua versus cœco impetu ruentibus, horrificũ quid & formidabile esse obiectum, quo mente animoque penè excussi exanimatique fuerint. Narrabant enim quasi flammantem

ἀναδησάμενον lego.

iguibus currum è cœlo demissum, à quo vinctus pedicis sit expeditus, & in currum altè sublatus saluusque in prætorio custoditus, equis, nescio à quo, magna vi agitatis & in precipitium actis. Quod vbi qui adstabant audierunt, magna simul fide & voce exclamarũt: magnus Deus Christianorum. Sed præses & sanctum Theodorum, & milites qui crediderant, in custodiam dedit, fornacémque incendi præcepit, in quam omnes coniecti sunt. Sed mox cœlesti, qui descendebat in incendium, rore perfusi, inter se familiariter cœperunt colloqui argumentum sermonis erat memoria matris S. Theodori, quæ ante triennium capta, & cum aliis haud paucis in peregrinum abducta solum fuerat. cum ergo sanctus, qua ratione comprehensa fuisset narraret, videre eam desiderabat. Et: O Domine Iesu Christe, exclamant, operum admirandorum opifex, ostende mihi quibus nosti modis, parentem, quid enim tu non potes, vti omnes maiestatem agnoscant potentiæ tuæ. Et hæc quidem hi inter se, in fornace. Sed postquam flamma concidit, somno correptis, ex cœlitibus adstitit Beato, angelus, qui, remoue inquit, luctum Theodore, mater adest. qui experrectus exposuit visa commi-

commilitonibus, & narratione nondum absoluta; in fornace ipsa mater S. Philippa dicta, paruit, & viso filio lætabunda illum complexa vna cum militibus consalutauit. Cumque à matre didicisset, vnde, & quo pacto venisset, sublatis in cœlum palmis, meritas Deo grates persoluit. Postridie præses cubitu mane surgens, Ego, inquit, nec ossa quidem reliqua esse puto de Theodoro; & iis qui cum illo in rogum heri coniecti sunt. Dumque hæc præses dicit, adest à fornace, qui hæc nunciat. Theodoro precante Iesum, flamma extincta est, & mater eius aliunde repente apparens fornacem ingressa est, vbi velut in thalamo considentes familiariter inter se de Deo suo colloquuntur. Attonitus hoc nuncio præses, ad rogum aduolat, matremque inde euocat, &: an tu inquit, es Theodori mater? & illa: Ego verò, inquit, sum, fac, inquit præses, vti filius tuus Diis sacrificet, ne & malus ille male pereat, & tu orba relinquaris. Et Philippa: Filius meus abs te in crucē actus, hostiam veram Domino meo Iesu Christo Deo vero immolabit. Et præses: quando ergo tute genus supplicii filio reperisti, illud ille experietur; extemploque præcepit S. Theodorum de cruce suspendi, milites

verò

verò lanceis transuerberari, matri denique caput à ceruicibus amputari. Ita pariter omnes laureâ martyrii sunt insigniti. Sanctus autem Theodorus clauis cruci affixus, toto triduo suspensus vixit, tandemque ex cruce ad Dominum profectus est; cuius sacra lipsana vnguentis delibuta, & linteis involuta honesto in loco sunt condita.

ANNOTATIO.

EOd. die celebratur Theodorus Trachinas. Hic verò noster Theodorus 20. Sept. in Menologio & martyrologio Romano. Multi sunt alij hoc nomine insignes Martyres de quibus Fasti Martyrum.

Celeberrimus est is quem Tironem vocant.

28. April.

De milite Carthaginensi luculenta historia.

HISTORIA DE MIRACALO QVODAM CARTHAGINE IN AFRICA FACTO.

HEraclio Imperante, Niceta patricio Africæ præside, huiuscemodi res mirabilitatis plena accidit. Grassante peste in vrbe, legionarius quispiam erat Carthagine, qui cum coniuge in agrum suum suburbanum vitandæ contagionis causa secessit, Sed

Sed malus dæmon illum ad flagitium impulsum eo deduxit, vt villici sui vxorem stupraret. Deinde bubone, seu inguinis morcorreptus periit, & post tres horas cœpit è tumulo clamare, miseremini mei; quem, recluso, sepulcro, viuum reperere, sed nec quicquam potuit fari. Thalassius Africæ pontifex hominem interim solabatur.

Post quadriduum sic tandem cœpit exordiri. Cum animus meus iam iam è corpore meo esset excessurus, vidi æthiopas quosdam formidabiles lectum meum cingere, dein spectaui florentes duos ephebos ad me aduentantes, quorum aspectu mirificè delectabatur anima mea, qui iuuenes me susceptum ad cœlum ducere cœperunt. Sed Æthiopes in teloniis excubãtes omnes noxas meas perueſtigarunt, excusseruntq;, alius mendacium, inuidiam alius, alius auaritiam: sed angeli pro his ex benefactis meis satisdêre. Cumq; iam ad ipsas cœli fores appropinquaremus, tota nobis acies impurorum spirituum, quæ pro telonio Veneris stabat, occurrit, quæ mihi paulò ante commissum obiectabat adulterium, conuictũq; in vltimũ terræ chaos deturbauit, vbi peccantium animi suppliciis plectuntur, quæ nulla possunt oratione explicari. Ergo me plan-

plangente, rursum comparent illi gemini adolescentes, quos ego flens precatus dixi: Date locum clementiæ, vti possim noxias meas expiare. Tum alter alteri: spondésne pro illo, vt possit satisfacere? spondeo, inquit, alter. Tum eductum è caueâ ad conditorium me deduxerunt. Sed cum viderem corpus velut cœno & luto inquinatũ, recusaui illud intrare: & angeli: fieri non potest, vt peccatum pœnitendo deleas nisi per corpus, cuius operâ scelus designasti. ingressus ergo corpus animaui, clamareq; cœpi. Hoc cum narrasset, quadraginta dies sine vllo alimento flens gemensque traduxit, & rursum obdormiuit.

ANNOTATIONES.

LEgi hanc historiam apud Glycam. hisce verbis descriptam sub Heraclona. *Accidit ijs temporibus, vt quum pestilens morbus Carthagine grassaretur, ac multi homines morerentur: miles quidam parum continens sumta secum vxore sua, in suburbium se conferret. Ibi quum in amplexus mulieris cuiusdem, quæ agricolæ coniux erat, veniisset: mox vitam amisit. Altero autem die psalmos concinens, *alta voce clamabat: Miserimini mei. Deinde surgens narrabat, quo pacto ab angelis ad scortationis vsq; teloniũ deportatus, quasq; res istic conspexisset. Hoc modo quũ sibi ac multis alijs indicatione sua profuisset, naturæ debitum persoluit.* Eandem ex MS. Græco

* videtur aliquid deesse.

Hamar-

Hamartoli verbatim interpretabor & adscribam, nonnihil enim à Menæis differt. Carthagine ciuitate Africæ, miles quispiam luxu perditissimus degebat, qui peste per vrbem grassante, scelerum pœnitudine ductus, de commissis flagitiis doluit vehementer, & deserta vrbe in agro suburbano priuatim cum vxore sua vixit. Vbi rursum impulsu dæmonis, cum agricolæ coniuge adulterium commisit, subitoque extinctus, in suburbano monasterio conditur. Postridie cum cœnobitæ ad * tertiam psallerent, vox ab imo tumulo auditur: miseremini mei serui Dei, miseremini mei, qui conditorio mox aperto militem sedentem ac clamitantem reperiunt, extractumque vinculis liberarunt, rogaruntque quid id miraculi sit, & quæ miraculi causa? miles verò tantum precabatur, vt ad famulum Dei Thalassium Episcopum duceretur, ductusque est, vti rogauerat. Ad quem Episcopus. Expone mihi statum rerum tuarum, vt ego Deo laudes debitas persoluam. Miles ergo in hæc verba narrationem cum multis lacrymis cœpit. Ego, pater, vilis & infælix, cum vitam in peccatis meam finirem, vidi quosdam atros æthiopas me circumsistentes, quorum solus aspectus omni supplicio grauior est, & intolerabilior, quos noxia anima mea cum spectaret, sanè perturbata seipsam in arctum contrahebat. Cinctus ergo his formidandis æthiopum monstris, aspicio geminos adolescentes candido vestium cultu ornatos, formâque florentissimos, qui animam meam mox ad cœlum euolantes deduxêre. Sed in eo aëris tractu, reperere publicanorum stationes, & telonia, qui viam arctè obsidebant, animasque ad cœlum tendentes remorabantur, in singulis teloniis quæsitores

* *Tertiam horam Canonicam dicit.*

sitores certorum criminum versabantur: in hoc mendacii ratio exigebatur, in alio inuidiæ, in illo calumniæ, & ita deinceps in aliis singula certaque peccata à certis & singulis quæsitoribus quærebatur. Ab his ego comprehensus, vidi geminos illos iuuenes viæ duces, gestare, velut in crumenâ quadam, benefacta mea, & pia virtutis opera, ex qua illis quæsitoribus satisfaciebant, & bona pro malis reponebant, quæ libripendes illi & viæ cœlestis insessores, ad amussim pensitabant, ægréque tandem dimittebant. Cumque iam, exhaustis bonorum operũ loculis, ad cœli portas aspiraremus, in telonium Veneris & adulterii incidimus, vbi à fuliginosis illis monstris mihi manus iectæ, & omnes corporis voluptates & flagitia, quæ decennis puer vsque ad vltimam ætatem infelix designaueram, obiecta. Respondentibus pro me & defendentibus illis ephebis, quod quæ in ciuitate peccassem, per pœnitentiæ lacrymas delessem. Rursum obiecere formidabiles illi accusatores: Doluit quidem de commissis in vrbe, sed postea in suburbio, perpetrato adulterio, extinctus est. Quod vbi cœlites illi ductores mei audiuerunt, nec haberent quod defenderẽt, à me destituto, & ab omnibus operibus nudo recessserunt. Tum verò illa Cocyti portenta arreptum & cæsum, rursum in terram detraxerunt. Vbi sententia in me lata descenderunt per arcta quædam & tenebricosa, maleque olentia, & horrifica loca, versus occidentem sita, & subterranea inferorum ergastula, vbi sunt animæ eorum, qui deliquerunt conclusæ, in terrâ tenebrosâ & caliginosa, in terra æternarum tenebrarum, vbi lux nulla, nec vita mortalium speranda vlla, vti scriptum est. Sed dolor & afflictio absq; consola-

Iob. 10.

tione

tione perennis gemitusque lamentabiles : Etenim singuli in memoriam regrediuntur ibi, quæ hic peccauerunt,& meditantur, quomodo causam velint apud incorruptum iudicem defendere, quoq; pacto æterna supplicia toleraturi sint,præguſtantque quodãmodo iam pœnas,cõscientia prodente, subeundas, dum cogitant se à Deo sanctorumque gloria sempiterna seperatum iri, & cum diabolis & dæmonibus damnationem subituros, absq; vlla cessatione, sine vlla remissione doloris, assiduè lugent & lamentantur. Cum his ego vinctus,& conclusus eiulabam : interim video rursus illos duos ephebos ad me reuisentes, quos ego obnixè precatus, eximerent me ex illo horrifico & tetro carcere & anguſtiis, acturum me pœnitentiam:sed illi:frustra es, inquiunt, nemo vsq; ad decretorium illum iudicii diem hinc exit. Sed ego cum obtestari eos non cessarem, & ignorantiam excusarem, & promitterem, si mei misererentur, atque in vitam reducerent, fore vt exemplo vitæ, veraque pœnitentia , maximam adferrem mortalibus vtilitatem . Exorati ergo reducunt me ad corpus:tum vidi germanam animæ naturam veluti gemmam nobilissimam splendore radiantem,corpus verò horridum, & tabo fædum.quare cum tergiuersarer,& propter horrorem ingredi recusarem ; illi, nisi, inquiunt, intraueris corpus, reducemus te ad locum supplicíorum. Redi ergo in vitam, & tibi & aliis, (sic enim placet numini) salutem parias sempiternam. Tunc per os vidi me corpus intrare, & corpore rediuiuo cœpi clamare , miseremini mei. Ex qua re omnes magna salutis cepere emolumenta , cumq; omnes prę formidine trepidarent ob rei gestæ narrationem, omnes in lacrymas & lamenta effusi, su-

as quisq; noxas deplorabat. Rediuiuum verò iam cum viderent exhaustum & fessum, lacrymisq; penitus colliquescentem rogarunt, vt aliquid cibi gustaret. Sed ille omni prorsus alimento reiecto, omnib⁹ humanis curis abiectis, templa obiuit, palamq; in terram & pauimentum prostratus quanta potuit voce lacrymabundus clamitabat, væ, væ peccantibus & non pœnitentibus, quale & quam seuerum iudicium subibunt, & quam formidanda supplicia tolerabunt. Hunc in modum, cum dies quadraginta ieiuniis & peruigiliis transegisset, multosque verbo & exemplo ad peccatorum detestationem & pœnitentiam adduxisset, rursum obdormiuit in Domino, cum se morituru̇m, duodecim dies antequam obiret, præsensisset. Hæc quasi per paraphrasin ex MS. vides enarrata.

Quæ de ergastulis subterraneis, & animabus illic ad extremum iudicii diem seruandis dicuntur, non sunt, vt à Græcis accipiuntur, intelligẽda, qui neq; iustorũ animas in cœlũ admitti, nec impiorũ ad inferos detrudi, ante vltimum Iudicium extremamq; Christi sententiam putabant. Quos copiosè refutat Alphonsus à Castro lib. 3. contra hæreses, hæres. 6. in voce Beatitudo, qui simul ostendit, quando ab Ecclesiâ & consiliis ea res sit definita. Quamquam & nos fatemur fieri posse, vt nonnulli ad vltimum diem à cœlo excludantur, qui vel ignibus torqueantur, vel in nullâ sensus pœnâ versentur, sed in amœnis quasi pratis quiescant, pœnam tamen damni sentiant, eaque de causâ etiam ille locus pro purgatorio accipitur. Aliter sentiebant Armeni, Græci, & nonnulli Latini, atque hodie etiam plerique hæretici sentiunt, qui omnes omnino à cœlo & beatitudine fruenda excludi vsq; ad extre-

extremum diem existimant. De quibus præter alios, & Alphonsus quem modo nominaui, & Cardinalis Bellarminus de purgatorio disputant.

Sed illud religionem mouere, & scrupulum iniicere multis possit, quod & in Menæis & in MS. codice dicatur post adulterium mox obiisse, nec fiat mentio vel doloris vllius, aut pœnitentiæ. Deinde quod Angeli eam causam defendere non potuerint. Quod detrusus ad eos dicatur, qui se à Deo Diuorumque gloria separandos in omnem æternitatem lugeant, ita vt inter damnatos referendus hic noster miles fuisse videatur. *Ex inferno* autem quod omnes norunt, *nulla est rrdemtio.* Primum respondemus, in Menæis narrari militem inguinis morbo periisse, qui tam subitus non fuit, vt de peccato non potuerit ingemiscere; patitur ergo illud, *subito*, moram aliquam. Et quamquam doloris nulla fiat mentio, tamẽ id factum esse, hominemq; indoluisse vltimis illis mortis angustiis deprehensum, propè certũ est, cum spem salutis non posuerit. Quod alioqui cœlites & angeli ductores nihil cum damnato habituri fuerint negotii. Et per se conscientia subito post designatum scelus solet percelli, & dolere; vbi peccator nondum occalluit; & hic miles, non nisi semel post actam pœnitentiam peccarat. Probabile est igitur, imo certum, illum non sine animi dolore, ob adulterium commissum, obiisse, sed pœnis piacularibus adhuc obnoxium decessisse. 1.

Quod Angeli causam defendere non potuerint, ad pœnam non culpam, quæ remissa credi potest, pertinere videtur. Pœna enim luenda erat in purgantibus flammis, nec militi ad cœlum aspirare prius quàm purgaret labem, fas erat. Nam si cul- 2.

pa capitalis illi indulta non fuisset, vltimâ Dei sententia definitè pronunciatâ, angeli ad eum reducendum reuersuri non erant.

3. Quod demum ad damnandorum locum detrusus dicatur, ex Græcorum quidem sententia facilè habet responsionem, cum illi neminem ante summum diem, & iudicium vltimum ad inferos detrudi dicant, sed animas in ergastulis cœcis expectare Christi aduentum putent. Si ergo apud inferos nondum fuit, potuit ex illorum sententia anima, quamuis extra ordinem communem, facile ad corpus & ad vitam reuocari. Sed in Latina, Romana, & nostra Ecclesia, res maiorē habet difficultatem, cum nos profiteamur palam, & innocentes, nullaque labe peccati notatos, recta post mortem cœlum peterei & nocentes, hoc est in peccato mortali defunctos, rectà ad inferos detrudi: ex inferno porro nullam esse redemptionem. Demus ergo obiisse, peccato capitali obnoxium; demus illum subitâ oppressum morte, de scelere non indoluisse; demus etiam ad inferorum loca deductum; demus illum nil nisi, vt est in vitâ, ignorantiam, quæ tamen grauissima crassissimaque fuit, excusasse: potuítne fieri, vt eiuscemodi anima in vitam reuocaretur, & de peccato commisso per pœnitentiam satisfaceret? Hæc summa quæstionis est: hoc controuersum, an per nutum ac dispensationem diuinam, animæ vel è cœlo beatæ, vel ex vltimis inferorum sedibus damnatæ, potuerint in vitam reuocari; aut aliquando fuerint reuocatæ, corporaq; sua rursum induerint, & resumserint?

Hæc tamē iam damnata est sententia.

Status quæstionis.

Tractant hanc quæstionem præter alios, Abulensis lib. 4. Reg. cap. 4. q. 56. Gregorius Valētianus Tom. 4. dist. XI. q. 1. p. 2. Docent hi & asserunt posse animas

animas reuocari in vitam è cœlo, inferno, purgatorio, limbo, per diuinam voluntatem siue dispensationem. ac de limbo & purgatorio, non est grauis disputatio. De cœlo & inferis ita eruditè & acutè noster differit Gregorius. *Controuersum autem est, an per diuinam dispensationem fuerint ex cœlo quoque & inferno reuocatæ aliquando animæ, per resumtionem etiam corporum, ita quidem vt destiterint perfrui visione beatifica, qua saltem ad tempus in cœlo afficerentur, vel puniri infernali pœna, qua ad tempus saltem punirentur prius in inferno. Dico autẽ,* qua ad tempus saltem, *&c. nam antea diximus, non posse fieri, vt qui prius vera, atque adeò perpetua & sempiterna beatitudine seu pœna affecti fuerint, desinant postea affici, cũ id implicet contradictionem.*

Dein positâ Soti sententiâ, & aliorum qui nullum vnquam neque ex cœlo, neque ex inferis in vitam reuocatũ existimant; in hæc verba decernit. *Sed tamen contraria sententia* (reuocari nempè animas ex cœlo & inferis in vitam) *propter alias quasdam historias fide dignissimas, tenenda est. Nam ipse S. Gregorius lib. 1. Dialogorum c. 9, refert, fuisse suscitatum à S. Fortunato Episcopo, virũ quemdam sanctum, Marcellum nomine, qui vt ex narratione Gregorii apparet, fuerat in cœlo. Scribit enim Marcellum illum iam suscitatum dixisse ad S. Fortunatum:* O quid feciſti? O quid feciſti? cui Episcopus respondit, dicens: Quid feci? At ille: Duo hesterno die venerunt, qui me eiicientes ex corpore in bonum locum duxerunt; hodie autem vnus missus est, qui dixit: Reducite eum: quia Fortunatus Episcopus in domum eius venit. Quibus verbis expletis mox ex infirmitate conualuit, & in hac vita diutius mansit. *Et addit Gregorius:* Nec tamẽ

credendum est, quia locum, quem acceperat perdidit: quia dubium non est, quod intercessoris sui precibus, potuit post mortem melius viuere, qui & ante mortem studuit omnipotenti Deo placere.

Prorsus huic gemina recitatur à Turſellino in Vita Xauerij, de excitata abinferis puella. lib. 4. c. 3.

Item c. vltimo eiusdem libri narrat Gregorius, quendam à S. Seuero Presbytero fuisse suscitatum, qui iam à valdè tetris hominibus, vt inquit, & ignem spirantibus, id est, à damonibus ducebatur. Sic etiam filium Præfecti, qui S. Agneten violare tentârat, illius q; orationibus fuit suscitatus (vt S. Maximus narrat ser. 2. de S. Agnete) procul dubio fuerat in inferno. Quæ historia reperitur etiam apud Amprosium ser. 90. Hæc Gregorius de Valentia; vbi simul infra respondet ad alia sentientium argumenta. In eadem cum Gregorio opinione est Tostatus, qui, loco supra adducto, susè de hac re disputat, cum agit de pueri anima ab Helisæo excitati, negatque cuiquã ab inferis, nisi in vitam redeat, ad purgatoriam flammarum sedem, vel cœlum esse aditum.

Porro è cœlo & inferis in vitam rediisse non paucos, sanctorum historiæ passim docent. Eugippius ante annos M C. & amplius in vita S. Seuerini refert presbyterum Siluinum excitatum à S. Seuerino, & interrogatum an vellet redire in vitã mortalem; è tumulo respondit Siluinus, Per dominum te coniuro, ne diutius hic tenear, & frauder quiete perpetua, in qua me iam esse cernebam, statimque reddita Oratione, quieuit exanimis. Constat præterea cùm ab Apostolis, tùm aliis SS. multos in vitam reuocatos, qui Christum, siue Deum antea non coluerant, postea vero ad fidem eruditos, & aqua salutari tinctos. Vnicum hic ex Vincentio memorabile sane, testimonii causa apponam. *Sancto*, inquit, *Maclouio Episcopo Britan-*

Vincent. lib. 21. c. 97

no,

no, insulæ Fortunatæ gigantis corpus sepultum, immensum ediderunt, cò enim serendi Euangelii causa profectus Maclouius, refosso quodam sepulchro, comperit corpus occupans amplissimum spatium, illi ac comitibus admirandum: Sanctus igitur iussit cadauer resurgere in vitam: paruit ille, multa de rebus, arcanisq; alterius sæculi diuinis Maclouium edocuit, ac susceptο baptismate etiam diu superuixit. Hæc Vincentius. Refert eandem copiosius in vita Macloui Sigebertus; & quia res tanti momẽti, fidei firmandæ causa, illius verba recitabo. *Sigebertus cap. 4.*

Magnis maiora miracula succedunt, & nouitate sui, deuotionem fideliũ ad laudanda Dei magnalia vehementius accendunt. Cum tantopere pro quærenda illa laudabilis famæ insula laborarent, factum est, vt ad aliam insulam, disponente Deo, applicarent: & potiti optata arena, dum proreuelando tædio nauigationis perlustrarẽt singula, offendunt tumulum sepulti hominis, quem fuisse giganteæ molis & proceritatis, prodebat inspecta qualitas corporeæ magnitudinis. Motus ergo vir pius miseratione humanæ compassionis, & insuper animatus vigore supernæ inspirationis, cum fidei magnanimitate, & lacrymosa contritione cordis, nomen & virtutẽ inuocat Sanctæ Trinitatis, & aperto loculo tumuli, suscitauit eum à mortuis. Qui postquam est redditus pleno vitæ officio, compellat eum sacerdos pio alloquio, sciscitans eum quis esset, vnde illuc veniisset, vbi modò fuisset, si aliquando Christo credidisset? Respondit ille, se à parentibus suis occisum, ibi tumuli accepisse locũ. Porrò se infernalibus claustris deputatum, dirum, & interminabilem tulisse cruciatum. Et reddidit homo Dei: vobis ergò, quos incredulitas deputauit pœnalis inferni ergastulo, est aliqua fidei confessio, est aliqua sancta & individua Trinitatis cognitio? Et ille: Pla-

nâ, inquit, nobis Sanctæ Trinitatis cognitio est, sed modò eam nosse aut confiteri, nihil nobis prodest: imò quia in vita eam nosse noluimus, mortaliter obest. Ideo precor, vt saltem modò merear renasci baptismo salutari, vt qui hactenus damnatus fui morte æternali, iam nunc possim erui ab interitu infernali. Sanctus Dei, his auditis, ingreditur viam Apostolicæ prædicationis, & eum initiatum, & catechizatum catholicæ fidei rudimentis, consecrauit & regenerauit baptismi sacramentis, & muniuit viatico Dominici corporis & sanguinis. Superuixit autem quindecim diebus, & à morte animæ erutus, morti corporali est redditus, & in eodem tumulo repositus, in generali omnium regeneratione resurrecturus cum Christo felicius. Hæc Sigebertus. Cum ergo dicitur ex inferis nullam esse liberationem, de iis est accipiendum, qui in omnem æternitatem, definitâ Dei sententiâ, inferorum seu gehennæ flammis addicti sunt; non de illis, qui ad certum tempus; quod ordinaria lege non fit, sed extraordinaria, quam rarissimè. Eademque ratione, nullus qui cœlestibus gaudiis est transcriptus, secũdum ordinarium Dei decretum ijs priuabitur: extraordinario autẽ Dei consilio, ad breue tempus ad cœlitum sedes & gaudia admissus, poterit in vitam redire: sed hoc discrimine, quod beatus spe recuperandæ salutis nunquam frustrabitur; damnatus vero si volet, per pœnitentiam æternas inferorum sedes poterit euadere: hoc enim nec iustitiæ diuinæ, nec misericordiæ, vel in conseruando præmio illius beati, vel in liberando ex inferis damnato repugnabit, nec sacris literis (quæ pœnas impiorum aiunt fore æternas, ordinaria nempe lege, & post iudicium extremum) aduersabitur. Sed de his satis.

Placet

Placet huic historiæ D. Cyrilli Orationem de animæ excessu subiicere, in quam dum alia quærerem, incidi, opportunam prorsus & ad hanc narrationem confirmandam, & egregiè illustrandam; nec pœnitebit, opinor, eam legisse, quæ prodesse plurimum, obesse nunquam poterit. Ita ergo Magnus Cyrillus ex Castalionis interpretatione.

Extat hæc Græcè quoque in Horologio græcorum.

Metuo mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quoniam æterna est. Metuo tartarum, quoniam nihil habet caloris. Metuo tenebras, quoniam nihil habent lucis. Metuo vermem veneniferum, quoniam æternus est. Metuo genios iudicio præficiendos, quoniam sunt immisericordes. Metuo cum cogito illius diei terribile, & muneribus inexpugnabile consilium, tribunal horribile, iudicem incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimaq; flamma torrens, & acutos enses. Metuo severissimas pœnas. Metuo supplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginẽ. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletum inconsolabilẽ. Metuo ineuitabiles probationes*

Tartarum appellabāt frigus & Crystallū: lege sequētē historiā de Patricio Episcopo Prusæ.

** Mendosè alij: coloris Græcè: ὅτι ἀ μετέχει θέρμης.*

nes. Nihil enim accusationibus eget iudex ille, neque testibus, neq; demonstrationibus neq; probationibus. Sed quæcũque fecimus, diximus, decreuimus, ea in medium adfert ob oculos nocẽtium. Tum nullus est qui adsit & pœnis eripiat; non pater, non mater, non filius, non filia, non alius quisquam cognatorum, non vicinus, non amicus, non defensor, non pecuniarum largitio, non diuitiarum abundantia, non potentiæ fastus: quin hæc omnia cineris ritu in puluerem abeunt, solusq; reus ex suis factis absoluentem aut condemnantem sustinet sententiã. Heu mihi, heu mihi, quẽ conscientia redarguit, & scripta clamantia docent, ô anime, cui tot nefaria fœdaq; patrata sunt facinora. Heu mihi, qui corporis templum corrupi, & tuo spiritui dolorem feci. O Deus, æqua sunt opera tua, & iustum iudicium, & rectæ viæ, & obscurissima consilia, propter breuem peccati fruitionem in æternũ torqueor. Propter corporis voluptatem igni trador. Iustum est Dei iudicium: vocabar, & non obtemperabam: docebar, & nõ attende-

tendebam: admonebar, & deridebam: legens & agnoſcens, neque non credens, ſed in negligentia, ignauia, ſocordia, varijs occupationibus, turbis & procellis petulanter, & laſciuia exultans, & voluptatibus atque lætitiæ indulgens conſumſi meos annos, menſes, & dies in res breues caducas, & terrenas, laborem, ſtudium atque operam impendens: neque in animum reuocans, aut conſiderans, qnantus animorũ metus, terror, certamen, æſtus ſit ſuſtinendus, cum à corpore ſeparatur. Præſto ſunt enim nobis exercitus, & poteſtates cœleſtes, & contrariarum poteſtatum, tenebrarum principes, improbitatis præpotentes, mancipes publicani, rationum exactores, & actionum cenſores aërei, & cum eis ille homicida Diabolus, in malitia potens, cuius lingua acutior eſt nouacula, de quo ſic ait vates: tela potentis acuta, cum carbonibus perniciosis, qui inſidiatur vt leo in antro ſuo, draco magnus defector, orcus qui fauces aperit, qui tenebrarum poteſtati præſidet, qui mortis habet imperium, & quodã-

modo

modo iudicium, retinens animũ, obiciens, & sententia sua condemnans omnia quæ re, quæ verbis, quæ scienter, quæ imprudenter, commisi, deliqui, peccaui: quæque deinceps à pueris vsque ad diem exitus feci, ea omnia perscrutans. Quanto metu & terrore putas animũ conflictari in illa die, cum videt terribiles, truces, immites, immisericordes, & sæuos dæmones, tanquam atros quosdam Aethiopas præsentes adesse, quorum vel sola facies quouis cruciatu molestior est, quos aspiciens animus tumultuatur, ad Dei genios confugiens. Tenetur igitur animus à sanctis genijs, per aërem sublimis præteriens, inuenitq; quosdam quasi publicanos ascensum custodientes, & ascendentes animos prehendentes, prohibẽtesq;, nam quisque publicanorum propria habet peccata, quæ illis obiciat: alius perperam dicta, quæcunq; ore & lingua commissa sunt mentiendo, iurando, & periurando: cum superflua, nugatoria, & vana verba, tùm helluationes, viniq; abusum, & luxum, & immodicos indecorosq; risus,

leuia

leuia & inhoneſta oſcula, & impudica cantica. At ſancti genij animum ducentes proferunt, & ipſi quæcunque ore linguaq; locuti ſumus bona, ſupplicationes, gratiarum actiones, pſalmos, carmina, laudes, diuinos cantus, ſcriptorumq; lectiones, & quæcunque per os & linguam bona Deo promiſimus. Secundum telonium eſt oculorum viſus, quæcunque in decoro aſpectu, curioſoq; & effrenato intuitu, & fallaci nutu committuntur. Tertium telonium eſt auditionis, & quæcunque per hunc ſenſum impuros ſpiritus accipiũt. Quartum eſt olfactus odoriferorum vnguentorum, & ſuauium odorum, quæ mimas & impudicas decent mulieres. Quintum eſt eorũ, quæ manuum tactu peruersè & improbè facta ſunt, & cæteræ vitiorum tabernæ, inuidiæ, æmulationis, inanis gloriæ & ſuperbiæ, acerbitatis, & iræ: iracundiæ & furoris: ſcortationis & adulterij, & mollitiæ, homicidij & veneficij, cæterorum denique impiorũ, & peruerſorum factorum, quæ in præſentia minutatim perſequi non licet, & in aliud

liud tempus differantur. Breuiter eodem modo deinceps suos quisque animi morbus & peccatum publicanos habet, & tributi quæstores. Animus igitur qui hæc, & his maiora, pluraq; cernit, quanto putas in metu & terrore, ac trepidatione est, donec sententia feratur, & eius libertas veniat? Illa est hora doloris, periculi, gemitusq; plena, atque inconsolabilis, donec videat, quid futurum sit. Nam & diuinæ potestates & impurorum facies spirituum astat; quorũ hi prauè, illi rectè facta proferunt, siue quid verbis, siue opere, aut cogitatione, atq; mente factum est, cum interim medius astans animus, hæc trepidè ac pauidè considerat, donec ex suis cogitationibus, factisq; & dictis aut cõdemnantibus vinciatur, aut absolutus liberetur. Nam suorum quisque peccatorum catenis constringitur. Quod si dignus fuerit, piè ad Dei voluntatẽ traducta vita, assumunt eum genij, & deinceps securus pergit, comites habens sanctas potestates, vt habet scriptum illud; lætorũ omnium habitatio apud te est. Tunc com-

pro-

probatur dictum illud: Adfuit dolor, mœror, & gemitus. Tunc à prauis, improbis & horrendis illis ſpiritibus liberatus, vadit in illud ineffabile gaudium. Sin autem inuentus fuerit diſſolutè, & luxuriosè vixiſſe, audit grauiſſimam illam vocem. Tollatur impius, ne domini gloriam videat. Tunc enim inuadunt dies iræ, afflictionis & angoris, & anguſtiæ: dies tenebrarum & caliginis. Tunc à ſanctis Dei genijs derelictum prehendunt Aethiopes illi dæmones, & eum crudeliter verberantes deferunt ad terram, eaq; diuiſa infractis colligatum vinculis præcipitant in tenebricoſam, & tetram terram, ad infima loca, in ſubterraneos orci carceres, atque cuſtodias, vbi concluſi ſunt nocētium animi, qui iam diu obdormiuerunt, vt ait Iobus: in terram tenebricoſam, atque tetram, in terrā caliginis æternæ, vbi lux nulla, neque mortalium vita eſt, ſed dolor ſempiternus, mæror infinitus, fletus perennis, dentium ſtridor perpetuus, & nunquam ſopiendi gemitus. Illic væ væ perpetuo, illic eheu, illic vociferan-

ciferantur, nec est qui succurrat: clamant, nec vllus est qui liberet, non potest illa rerũ angustia explicari: non possunt lingua dici dolores illi iacentium & concluſorum animorum. Non potest vllum hominis os metum illum terroremq; declarare: nulla hominis labia satis magnam vim habent ad dicendum illorum statum, atque ploratum. Gemunt continenter, & sine intermissione, sed nullus est qui misereatur. Vociferantur ex profundo, sed nullus est qui exaudiat, lamentantur, sed nemo est qui liberet. Exclamant, & plangunt, sed nullus est qui cõmoueatur. Tunc vbi huius mundi iactantia? vbi inanis gloria? vbi apparatus? vbi reges? vbi ornatus? vbi pecuniæ? vbi nõbilitas? vbi tunc delectatio? vbi corporis virilitas? vbi falsa illa, & inutilis mulierum pulchritudo? vbi tunc impudens & effrenata audacia? vbi tunc vestimentorũ comptus? vbi peccandi impura & friuola delectatio? vbi qui nefariam virorum cõcubitum voluptatem ducit? vbi qui vnguentis & odoribus perfunduntur, atque

suffun-

ſuffunduntur? vbi qui cum tympanis & cithara vinum potant? vbi tunc contẽptus vincentium ſine metu? vbi auaritia & habendi cupiditas, atque inde naſcens immiſericordia? vbi tunc inhumana ſuperbia, omnia faſtidiens, & ſe aliquid eſſe putans? vbi tunc inanis, & vana hominum gloria? vbi libido, & nequitia? vbi potentia & tyrannis? vbi tunc rex? vbi princeps? vbi dux? vbi poteſtate præditus? vbi diuitiarum multitudine inſolentes, & egẽtium non miſerentes, Deumq; contemnentes? vbi theatra? vbi venationes? vbi tũc elati intemperatè & ſecurè viuentes? vbi mollia iudumenta? vbi tenera ſtragula? vbi excelſa ædificia? & porticuum amplitudo? vbi qui ſine metu vixerunt? Tunc cum illa videbunt, mirabuntur, horrebũt attonitiq; eiulabunt, turbati labefactabũtur. Tremor eos corripiet, & dolores, quales ſunt parturientium, ac vehementi ſpiritu fracti delebũtur. Vbi tunc ſapientium ſapientia? vbi Oratorum eloquentia atque impoſturæ? Væ væ turbati ſunt, & ebriorũ

ritu titubant, consumpta omni eorum sapientia: Vbi sapiens? vbi literatus? vbi humani generis quæsitor? O fratres, considerate quales nos esse oporteat, dum rationem singilatim reddemus eorum, quæ fecerimus, siue magna sint, siue parua. nam etiam otiosorum verborum causam apud iustum iudicem dicemus. Quales oportet nos esse in illa hora? Quod si propitium habuerimus Deum, qualem percipiemus lætitiam ad dextram segregati? Quales nos esse decet ad illam inenarrabilem lætitiam, cum dicit ille regnantium rex, eis qui ad illius erunt dextrã cum hilaritate: Adeste felices Patris mei, possidete paratum vobis ab orbe condito regnum. Tunc inuademus in illorum possessionem bonorũ, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec hominis cor cogitatione comprehendit, quæ Deus sui amantibus præparauit. Tunc deinceps securi futuri sumus, nullo amplius pauore corripiendi. Consideremus autem & hæc, nocẽtum cruciatum sempiternum, cum ad illud tribunal sistentur, quanto pudore

dore afficientur, coram iusto illo iudice, causam dicere non valentes? Quantus eos pudor inuadet ad regis sinistram separatos? Quæ tenebræ eis incident, cum eos ira inflammatus suis verbis perturbabit, cum eis dicet: Facessite à me vos execrabiles in ignem æternũ, diabolo eiusq; genijs paratũ. Heu, heu, quanta afflictio, dolor, angor, metus, tremor instat eorum animis: cum fiet clamor omnium cælestium potestatum, dicentium: Discedant improbi in Orcum. Eheu quem cantum edent lamentantes, plorantes, eiulantes atque plangentes, cum abducentur acriter in sempiterna secula cruciandi? Eheu qualis est locus, vbi fletus & stridor dẽtium, qui tartarus appellatur, quem vel ipse Diabolus horret. Heu, heu, qualis est gehenna ignis inextincti, vrentis, neque lucentis? heu, heu, qualis est nunquã dormiens venenatus vermis? heu quam tetræ sunt profundæ illæ semperq; manentes tenebræ? heu mihi, quales sunt illi genij in cruciatibus immites, atque immisericordes? Exprobant enim, grauiterq; increpãt.

Tunc qui torquentur, longũ clamant, nec est qui succurrat: clamabunt enim ad Dominum, nec eos exaudiet. Tunc cognoscent omnia sibi, quæ sunt in vitâ, ad nihilum redacta esse: & quæ hic bona esse, gaudijq́ plena videbantur, ea felle amaroq́ veneno amariora reperientur. Væ sontibus, cum insontes ad dextram stabunt, & illi vexabũtur: cum sontes flebunt, & insontes gaudebunt: cum insontes lætitiam agitabunt, & sontes lamentabuntur: cum insontes in tranquillitate, & sontes in tempestate, at calamitate versabuntur: Væ sontibus, cum insontes gloria afficientur, & illi condemnabuntur, væ sontibus, cum insontes omni bono satiabuntur, & sontes eo carentes ingemiscent: Væ sontibus cum insontes gloria, & illi ignominia afficientur: Insontes sanctitate, sontes flammis: Insontes laudibus efferentur, sontes miseri ferentur: Insontes in sanctorum mansionibus, sontes in exilio sempiterno. Insontes audient; Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis ab orbe condito regnum. Sontes autem audi-

audient illud: Facessite à me detestabiles in ignem æternum, diabolo eiusq; genijs destinatum. Insontes in paradisum, sontes in ignem inextinctum: insontes deliciabuntur, sontes afflictabuntur. Insontes saltabunt, sontes vincientur. Insontes cantabunt, sontes lugebunt. Insontes ter sanctũ, sontes ter miserum. Insontes cantum, sontes voraginem. Insontes in sinum Abrahami, sontes in Belialis torrentes. Insontes in requietem, sontes in supplicium. Insontes rore, sontes flamma, conspergentur. Insontes delectabuntur, sontes mærore consenescent. Insontes extollentur, sontes tabescent. Insontes efferentur, sontes deprimentur. Insontes fouebuntur: sontes denigrabuntur. Insontes bonis saturabuntur: sontes diuexabuntur. Insontes aspectus alet Dei, sontes torquebit ignis aspectus. Insontes vas sunt electionis, sontes vas gehennæ. Insontes aurum igne probatum, & argentum probum, & lapides pretiosi: sontes ligna, culmus, fœnum, ignis alimentum. Insontes frumentum regni, sontes perdenda palea.

Insontes semen electum, sontes ignis Zizania. Insontes sal diuinum, sontes virus atque fætor. Insontes intemerata templa Dei, sontes polluta templa dæmonum. Insontes in aula nuptiali, sontes in chaos infinitum. Insontes in splendore lucis, sontes in procellæ caligine. Insontes cum genijs beatis, sontes cum dæmonibus. Insontes cum genijs saltantibus, sontes cum dæmonibus lugentibus. Insontes lucis, sontes tenebrarū medium tenebunt. Insontes consolator solabitur, sontes cum dæmonibus plectentur. Insontes dominico solio astant, sontes pœnali caligini. Insontes domini faciem semper aspiciunt, sontes in diaboli semper astant aspectu. Insontes genijs sanctis, sontes dæmonibus initiantur. Insontes supplicationem, sontes ploratum libant sempiternum. Insontes supra, sontes infra. Insontes in cælo, sontes in profundo. Insontes in vitam æternam, sontes in mortem exitiabilē. Insontes in manu Dei, sontes in loco diaboli. Insontes cum Deo, sontes cum Satana. Væ sontibus, cum ab insontibus separabuntur.

Væ

Væ sontibus, cum eorum & actiones nudabuntur, & mentis consilia patefient. Væ sontibus, cum mentis agitationes arguentur, & prauarum cogitationum conspirationes trutinabuntur, & mens expẽdetur. Væ sontibus, cum sanctis genijs odio, & testibus erunt execrationi. Væ sontibus, cum ex aula nuptiarnm exigẽtur, heu qnæ tum pœnitentia, quæ afflictio, quis angor, quæ iactatio futura est? Graue est à Sanctis separari: durius à Deo separari. Ignominiosissimum est manibus pedibúsque colligari, & in ignem conijci. Molestum est in imas detrudi tenebras: tetrùm dentibus stridere atque tabescere: odiosum nullo fine cruciari: malum, linguam inflammari funestam, aquæ guttam petere, neque obtinere. Acerbum, in igne esse, & clamare, neque subueniri. Insuperabiles fauces: immensus gurges, vbi incluſus quis & detentus, euadere, aut aufugere nequeat: insuperabilis custodiæ murus, immites custodes, tenebricosus carcer: infracta vincula: inconuulsæ catenæ: diri, ferig, flammæ illius ministri: gra-

ues illæ, quæ ad ſupplicium adhibẽtur, ſcuticæ, firmi vngues, & infracti: duri nerui, turbida pix, atque torrens: fœtens ſulphur, ignea illa cubicula: inextincta pyra, putidus viroſusq; vermis: inexorabile conſilium: inuictus gratia iudex: inexcuſabilis defenſio: notis compuncti magnatũ vultus: exoleti optimates: mendici reges: imperiti ſapientes: fatui, & reiecticij oratores: dementes diuites: non auditæ falſa ſcribentium aſſentationes: manifeſtæ malitioſorum verſutiæ: perſpicuæ fraudatorum calliditates: viroſus auarorum odor: aperta perſonarum ſimulatio; verberones; impoſtores; omnia apud illos nuda, atque pateſacta: Væ improbis, profani, ſcelerati, & impuri ſunt in Dei conſpectu. Quam contaminati ſunt eorum animi? quam putent eorum corpora ex libidine, atque nequitia? quam fœda labe & corpora, & animos ſuos coinquinarunt, non ſeruato ſacræ veſtitu lotionis? Quam turpiter & impudenter crapulæ & ebrietati indulgentes, ventri corporis latrinæ, & abdomini, per luxum ſeruierũt,

& à

& à fragilitate, & continentia alieni, felicitatemq; sibi in ventre reponentes, seq; molliter in voluptatibus, tanquam porci volutantes: dies & annos suos consumserunt in sordidis cogitationibus, atque ineptis vanisq; verbis, & mimicis cantibus insolescentes: Quanta animi cæcitate alienati sunt, neque Christi ordinis, neque diaboli confusionis habita ratione? quam à recta via deflexerunt, dum per ignorantiæ tenebras ingressi, & socordiæ somnoediti, in gehennæ barathrum seipsos immerserunt? Quam alienati sunt à lumine virtutum, amandis peccati tenebris, quoniam ampla & lata tritæ improbitatis via grassati sunt? Quam obliti sunt Domini & Dei, & Seruatoris nostri Iesu Christi peregrinationem, ac tot tamq; imperuestigata eius beneficia, qui diuinæ lotionis aqua, sacroq; Spiritu purificati, & lætitiæ vnguento delibuti, ob paruã eamq; odiosam, & friuolam voluptatem, talia tãtaq; dona irrita fecerunt, & libidinũ atq; adulteriorũ imperio paruerunt. Væ qui relicta adoptatio-

ne, secuti sunt huius vitæ voluptates. Væ sequentibus huius vitæ fortunas. Væ peccati tenebras amantibus. Væ veritatis lucem reliquentibus. Væ per noctem peccati gradientibus. Væ reliquentibus diem cognitionis Dei. Væ mala ridendi consuetudine expletis. Væ qui fucantur, vt animos ad impuræ nequitiæ coniunctionem libidinemq; vulnerent: cum re ipsa hamus sit Diaboli, non fumus, ideoq; cupientibus, conãtibusq; & volentibus seruari odio habendus. Væ qui inter se calumniantur. Væ contumacibus, contentiosis, atque turbulentis. Væ iurantibus delectationis gratia. Væ periuris, væ helluonibus, quorum Deus venter est. Væ ebriosis. Beatus autem, qui seipsum hic despicatur, deprimitq; propter Deum, contemnitq; atque damnat. Hic & à Deo supremo extollitur, & à genijs laudatur, neque in iudicio inter siniſtros astabit. Beatus homo, qui in supplicationibus perseuerat: in ieiunijs durat: in vigilijs gaudet: somno reluctans, eumq; arcens, & genua ad Dei prædicandas laudes flectens, pectus tundes,

faciem

faciem feriens, manus in aërem efferens, aſpectum in cælum attollens, ad dominum cogitans illum, qui in ſolio gloriæ ſedet, & corda ſcrutatur, & renes peruadit. Hic enim fruitur æternis bonis, filius, & frater, & amicus, & hæres ſit Dei. Huius facies ſolis inſtar ſplendebit in die iudicij, in quo cæleſte regnum patefiet. Qui verum amat, is amicus Dei reperitur: qui autem mendacia perpetuat, amicus eſt dæmonũ. Qui dolum edit, miſeria liberatur. Qui res aduerſas perfert, is tanquam confeſſor, ante Chriſti ſolium coronatur. Qui murmurat, & moleſtè fert aduerſos caſus, quiq; tædio rerũ moleſtarũ maledicta iacit, is errat, & animo ſurdus eſt. Qui mitis eſt & humanus, modeſtusq;, is à Deo laudatur, à genijs beatus prædicatur, & ab hominibus celebratur. Ille autem amarus, iracundus, & ad bilem propenſus, Deo deteſtabilis eſt, eius & cibus racemus eſt amarulentiæ dæmonum, & vinum fel draconum, & potio venenum aſpidum irremedicabile. Qui puro ſunt corde, Dei gloriam videbunt. At

qui

qui mente sunt sordida, Diabolũ aspicient. Qui vitiosa faciunt, & praua cogitant, & mala alijs moliuntur, à diuina communione seipsos prohibent. Qui sibi purpurisso vultus humectant, & cerussa genas illiniunt, dealbantq́, & ad speculum comuntur, vt homines ad nequitiam, & prauas cupiditates, amoresq́ Sathanicos incitent, atq́ implicent: ij in die iudicij non pij reperientur, sed vt Dei præceptorum contemptores torquebuntur. Qui pulchritudinem adsciscunt alienam, paradisi pulchritudine priuabuntur. Qui aliorum lapsu gaudent, seipsos præcipitant. Qui aliena concupiscunt, sua produnt, perduntq́, glorioſi, superbi, & hominibus studentes placere, cum diabolo condemnabuntur. Simulatores cũ Sathana plectentur. Qui corpus supra modum nutriunt, animum fame necant, Qui scientes, & nulla vi adhibita peccant, neque ad sanitatem reuertuntur, cum infidelibus torquebuntur. Qui dicunt: peccamus in iuuentute, & in senectute ad saniorẽ mentem redibimus, ij à dæmonibus illuduntur,

atque

itque deridentur, quoniamq; vltro peccãt, eis ad sanitatem redire non datur, sed in iuuentute mortis falce demetuntur: vt Ammon Israëlitarum Deus, qui etiam Deum suis prauis conatibus, profanisq; cogitationibus irritauit. Nam qui dicunt: Hodie peccemus, cras facturi saniora, ij ob consiliorum suorum vanitatem, & insipientis animi caliginem, dum & corpus corrumpunt, atque conspurcant, & animam contaminant, & mentem caligine inuoluunt, & rationem turbidam efficiunt, & conscientiam cœno inficiunt, & illud hodie amiserunt, cras perdiderunt. Qui enim neque propter lapsus scortationis plorant, neque propter adulterij cœnum lugent, neque propter masculi concubitus sentinam lamentantur, neque propter mollitiem eiulant, ij neque toto pectore præteritorũ possunt pectatorum agere pœnitentiam, neque futura corrigere. Etenim qui quæ amisêre, non quærunt, ij nec ea quidem retinent, quæ supersunt. Qui expensorum rationem non subducunt, etiam capitis iacturam faciunt.

Qui

Qui non prudenter laborant, & in supplicationibus sobrij sunt, à prauis cogitationibus subiguntur: subacti seruiunt praue cõsuetudini inuiti atque recusantes. Qui non sobriè Deo celebrãdo inuigilant, abripiuntur. Qui non inuigilant audiendis diuinis scriptis, sed seipsos inertiæ, somno dederunt, ij cum quinque illis fatuis virginibus excludentur. Qui sobrietatis arma abijciunt, à liguritione supplantantur, & ab adultera peccati libidine peruincuntur. Qui Dei præcepta non seruarunt, à dæmonibus vulnerantur, & ad ignis gehennam damnantur. Qui ab Ecclesia, & communione seipsos procul habent, Dei sunt hostes, & dæmonum amici. Pudefiat omnis hæreticorũ impiorum secta: operiatur genus infidelium: pereat Iudæorum collegium; obturentur impura ora Deum negãtium Hebræorum: tum cum ille animorum probator, rerum vestigator, quouis ancipiti ense acutior, penetrans vsque ad diuisionem carnis, & spiritus, commissurarumq; & medullarum, & mentis cogitationes dijudicans, iudex sedebit.

sedebit. Tunc, tunc inquam, non paucos nescio quos de multis, sed omnes detectos aspiciet, neq; pellis ouina lupum tegere poterit, neq; operum tectorium, interiorem occultare cogitationem. Non enim vlla rerum natura abdita iudicanti, sed nuda omnia, & eius oculis exposita. Quamobrem ne cõtra Dei præcepta humanis pugnemus affectionibus, sed inanium gloriolarum spiritus submittamus: consurgamus ad dimicãdum cum diabolo: acuamus animum ad sobrietatem: sopiamus peccati cogitationes, comparemus non oscitantem supplicationẽ, sobriam mẽtem, erectam rationem, limpidam conscientiam, perpetuã continentiã, non fictum ieiunium, patentem omnibus amorem, germanam castitatem, intemeratam frugilitatem, non simulatam modestiam, perpetuam Dei laudationem, alienã ab inani gloria lectionem, genuum flexionẽ non superbam, obsecrationem assiduam, vitam puram, orationem veram, hospitalitatem non mussantem, gratam tolerantiam, neque iactatricem beneficientiam: A-

mande-

mandemus iracundiam: expellamus iram: ignauiam aboleamus: furorē perimamus: mœsticiam deleamus: tollamus auaritiam. Ne formidemus communem hunc generis humani messorem mortem, sed illam hominum perditricem: mors enim propriè non est ea, quæ animum à corpore, sed quæ animum à Deo separat. Deus vita est, Qui à Deo separatur, mortuus est, amissa priori libertate, sicuti vita. Et quia mortis pater Diabolus instat, sicut robustus quidam hostis armatus, vt nos diebus sacris debellet, atq; frangat, dicatq;: Vici Christi milites, ostendenda mulierum pulchritudine, eosq; auribus suspendi, & inani gloria, propinationibusq; demersos virtutum coma prehensos, & cupiditatibus irretitos, viniq; potione titillatos, præcipites in scortationis foueam deturbaui, ne, inquam, impuris illis dæmonibus gratificemur, quādoquidē Deus noster omnium salus est, dæmonum perditor. Quoniam igitur corporibus implicati, mortiq; sumus obnoxij, certemus strenuè, vt impuros dæmonas superemus.

Nam

Nam si metum in corde habemus, & mortis recordationẽ in animo circumferimus, omnes contra nos armantur dæmones: Sed hi nos, tanquam arietibus quatientes, muro firmiores inuenient: quoniã nobis adest Dominus noster, cui gloria, honos, imperium in omnem conuenit æternitatem, Amen.

S. PATRICIVS EPISCOPVS PRVSAE,

28. Aprilis *Vixit sub Tito,*

HIc Sanctus propter singularem vitæ sanctimoniam & sapientiam, quam à teneris coluit, Prusæ Episcopus est creatus, qui ob Christi fidem, & ardentem eius erga alios feruorẽ, ab idolorum cultoribus cõprehensus, & ad prætorem adductus, egregiè vanitatem & stultitiam illorum redarguit, ac multis exquisitisque tormẽtis excarnificatus, capitis supplicium tulit. Porro cum Tyranno disputatione congressus, obnixusque & interrogatus dixit. * geminas sedes â Deo præparatas, vnam piorum multorum, quam possiderent iusti; alterã tenebricosam & ignibus æstuantem, in qua torquendi essent impij, ignemque à

**Haec adẽ apud Cedren. narrat Procõsuli patricius audiente toto populo.*

Deo non in mundum inferiorem tantum illatum, sed sũperiorẽ etiam, vti & aquam. Alia enim supra terram aqua est, quæ mare dicitur. Alia infra terram, quæ abyssus nominatur. Vnde velut tubuli siphonesq; & venæ aquarum, fontes inquam, ad vsum vitæ nostræ scaturiunt. Ex inferiore porrõ igne thermę erumpunt, aliæ calidiores, aliæ temperatiores. Ignis autẽ, vt aiunt, infra terram locum occupat, vbi fontes & impij suppliciis torquentur. Quemadmodũ & aquam infimam, Crystallum & tartarum nominant vbi gentes Idolorum cultrices & ipsarum Dij cruciantur. Aiebat porro se Iudæam peragrasse, Iordanemque traiecisse, visamque sibi terram, in qua hodieque vindicis & vltricis iræ Numinis vestigia extarent, propter immania incolarũ facinora, quæ in hospites quos mactabant, exercere solebant, aliaque nefaria libidinũ genera & flagitia exercebant. Vidisse etiam adhuc fumantem illic regionem, terramque cinere obsitam, ac omni destitutam fructu fætuque, seu piscium, seu pomorũ. Quin & flammatus ille Aetna, haud procul, in Sicilia situs, spectare cupientib⁹ fidẽ faciet,. Quare testamur, inquit, apud vos. iudicium per ignẽ à Deo olim institutum

Pentapolim forte intelligit & Asphaltitem.

iri.

iri. Vidi enim Neapoli montem sex millibus passuum ab vrbe distantem, vallibusq; sinuosum, ex quo diuinus ille ignis erupit, & velut saliens vnda trecentas vlnas vltra montis verticem elatus terrã exussit, & saxa decoxit, quoad Stephanus Sanctissimus illa tempestate pontifex cum supplicatione solenni egressus numen cœleste deprecatus, flammam coërcuit & extinxit. Vesuuiũ *intelligit.* 2.

ANNOTATIONES.

SEx millibus passuum Vesuuius mons, hic Neapoli distare scribitur. Procopius LXX. ferè stadiis abesse putat. Quæ plus octo millia passuum efficiunt. Franciscus Scotus in Itinerario Italiæ vix quatuor millibus remotum notat. Sunt in huius descriptione montis occupati Geographi, historici, poëtæ; Strabo, Plinius qui etiam in eo periit, Plinius Iunior, Solinus, Mela, Suetonius, Eusebius, Florus, Vitruuius, Dio, Vibius, Sequester, Tacitus, Zonaras, Cedrenus. Virgilius, Martialis, Silius, Procopius, Marcellinus, Leander in Campania. Et nuper Stephanus Pighius, Paulus Regius in vitâ S. Ianuarij. apud quos mirissima sanè mira de huius montis immanibus incendiis leges. 1. *lib. 2. bello Got.* *lib. 3. p. 368*

Quod de Stephano sanctissimo pontifice hic notatur, nescio an ad S. Ianuariũ debeat referri, de quo Baronius 19. Septembris ita ad S. M. Fastos scribit. *Habemus in nostra Bibliotheca homiliam peruetustam, in eiusdem S. Ianuarij solemnitate ad populum habitam. Incipit: Operante diuina miseri* 2.

cordia. &c. Recenſetur ibi immenſa illa flammarum eruptio à Veſuuio monte, ex qua quidem non tantum proxima adiacentis ciuitatis, ac circumpoſitarum regionum, ſed totius fere Europæ conflagratio imminere videbatur. quæ tamen S. Ianuarij eſt virtute compreſſa. Hæc Baronius. Erupiſſe etiam ante annos ducentos octoginta traditur Benedicto IX. pontifice. Sed de S. Stephano nulla mentio. Narrat & Platina Benedicto II. põtifice, quiſuit LXXXIII. Veſuuium flammas vomuiſſe, ſed in Stephano ea de re nihil.

30. April.
Vide Mar. Rom.

S. DONATVS PONtifex Eurcæ.

FLoruit hic temporibus Theodoſij Magni Epiſcopus Eurcæ, quæ vrbs in veteri Epiro eſt. In vrbe porro locus erat Soria dictus, ibidemq; fons, quem qui guſtabant miſeranda morte necabãtur. Quod vbi ſanctiſſimus Antiſtes Donatus intellexit vna cum ſacerdotum cætu ad fontem venit, ad cuius aduentum mox tonitru exauditum, ſubitoque exitiale monſtrum, qꝑ in puteo latebat, emerſit, ſanctoque viro occurrit. Cumque draco iumenti, quo vehebatur epiſcopus, pedes implicare conaretur, Sanctus iumenti tergũ loro cædens, ipſum opportunè tetigit draconẽ, quî repente mortuus concidit. Tum qui miraculo

culo spectatores aderant, collecta silua pestem illam flamis exusserunt. Sed fontem adhuc nemo gustare audebat. Sanctus ergo precatus, fontem crucis signo consecrauit, primusque inde bibit, vnde mox & cæteri certatim gratulabundi hauriebant, innoxiique potabant, ac domum sunt reuersi. Quæ cum Theodosius Imperator audiisset, omnes inde Episcopos euocauit, & quis esset Donatus percontabatur, qui ictu flagelli draconem exanimasset & vndam è terra & cœlo impetrasset. Ostendunt alij: & hic, inquiunt, Imperaror, est Donatus. Imperator salutatum deducit ad Augustã, amboque ad eius prouoluti pedes, rogant & dicunt: Serue Dei solare nos, & tuam in nos clementiam exhibe: vnica nobis est filiola, quam importunissimus dæmon miserè torquet, cuius causa nos ingenti dolore intimis animis excruciamur. Quod si illam curaueris, semissem ex omnibus eius opibus præmij loco reportabis. Deductus vir sanctus ab illis ad puellam, cacodæmonem increpitum extemplo depulit, filiamque saluam & incolumem præstitit. Imperatore ergo promissa Episcopo offerente, nihil auri sanctus admisit, sed cum pium ipsorum affectum cerneret pontifex, petiuit

uit locum quendam ditioni ſuæ proximũ quem vmbilicum dicebant, in quo templũ ſibi liceret condere. quem Imperator ſtatim ei per publicũ diploma conceſſit. Idẽ perbeatus Epiſcopus vetuit ſepeliri quendam, quoad creditori ſuo ſatisfeciſſet, excitatum enim in vitam cum creditore compoſuit, & rationibus vtrinque collatis & deciſis, chirographo deleto, illum iuſſit ad quietem redire, & communem omnium diem reſurrectionis expectare. Ingens tum ſiccitatis æſtus torrebat ſata, rogatu igitur Imperatoris egreſſus vrbe Sanctus ad Deum preces fudit, tantaque vis aquarum de cœlo defluxit, vti parum ab inundatione & cataclyſmo differre videretur, terraque innataret aquis. Animaduertit ſimul Imperator illum vnica tunicula, quamuis imber eſſet maximus, veſtitum. Cumque paulò poſt in regiã rediiſſet, nec vlla in veſte eius pluuiæ gutta vel humor cerneretur, omnibus admirationi & miraculo fuit. Imperator verò admodum eius oratione capiebatur datoque illi ad templi fabricam, fabricæque ornamenta auro, domum remiſit. Reuerſus ille, templum condidit, ſepulchrum ſuũ inſtruxit, ac poſtremo vitâ in lõgam ſenectam propagata ad Dominũ abiit.

Stanislaº Epiſcopus Cracouiẽſis idẽ ferè &c. Et D. Vdalricº, atque Serapion, qui filiã ex tumulo reſpondere iuſſit de depoſito,

S. THAL-

S. THALLELÆVS M.

2. Maij.

NVmeriani æuo vixit hic à Libano profectus, patre Verucio, matre Romulia oriundus. primum medendi disciplinæ deditus. Azarbi, quæ fuit altera Ciliciæ prouincia in luco olearum abditus. Captus ad Theodorum præsidē deducitur, quem vt vidit adigi non posse, vt Diis faceret, talos illius traiici, & à pedibus suspendi imperat. Sed nescio qua diuina vi carnifices, velut de statu mentis deiecti tignum terebratum suspendunt, qui & pœnas dederunt, quasi magistratui illusisse visi, Deinde in mare spargi illum præcepit, vnde saluus & niuea tectus veste exiuit. Tandem concessus feris, cum nec ab illis læderetur, Edesse Argeorum oppido, capite plectitur.

Vide Palladium.

ANNOTATIO.

HIc ipse fuit quem laudat Theodoretus in hist. SS. patrum c. 28. quamquam nondum martyrem: nec diuersum reor Ioannis Moschi c. 59. alium tamen, de quo idem c. 91.

S. BASILISCVS M.

22. Maij. *Vide Martyr. Romā. & Menologium.*

MAximiani imperio floruit hic, è ditione Chumialorum regionis Amaseæ, consobrinus magni illius Theodori Tironis, Iam antea quoque cum S. Eutropio &

Cleonico, qui in commilitio S. Theodoti erant, certamen subierat, in carcere illorũ captus, vbi victoriam martyrij retulerunt, postea (dimissus) tamen semper pro Christo patiendi uoto, cæptíque agonis perficiendi desiderio flagrabat, qua gratia sæpe Deum deprecabatur, qui per illustrationẽ diuinam illi dignatus parere, spopondit futurum, vt salutatis parentibus & cognatis Comani sanguinem profunderet. Venit ergo domum cum militibus, & matre fratribusque consalutatis, atque in suscepta Christi fide confirmatis, per missos ab Agrippa præside satellites comprehensus & vinctus, soleas densis clauorum aculeis horrentes indutus, Comanum versus recta via propellebatur. Sed cum ad vicum quendam Dacorum peruenissent, à fœmina quadam Traiana nomine hospitio excepti sunt, vbi S. Basiliscus ad aridam platanum vinctis post tergum manibus est religatus; qui mox per preces ad Deum versus effecit, vt arida reflorescceret platanus, densisque frondium comis diffunderetur, ibidemq; vbi S. stabat, fons è terræ gremio scaturiret. Quo satellites viso prodigio vna cum hospita Christum se Deum agnoscere testantur, vinculisq; virũ S. expediunt. Vbi

Comanũ Ponti Vrbs

vero

vero Comanũ attigêre, ad pręsidẽ sanctus adiit, à quo frustra ad sacrificia idolorũ solicitatus è cœlo per preces ignẽ deuocat, quo fanum idolorum signumq; Apollinis conflagrauit. Quare immẽso furoris œstro concitatus præses, actutum caput martyris ferro demeti, corpus in profluentem abiici imperat. Ita Sanctus ad Dei nostri laudem & gloriam amplificandam martyrij diademate est insignitus.

ANNOTATIO.

Isdem prope verbis in Menologio Basiliscus hic describitur. Palladius in vita S. I. Chrysostomi affirmat hunc fuisse Episcopum in ponto Comani. Plura de hoc Theodor. lib. 5. historiar. Nicephorus & alij.

S. SIMEON STYLITA.

VIxit hic Iustini senioris imperio, natus Antiochię Syriæ, patre Ioanne Edessano, matre Martha, Antiochiæ eductus. Quæ sequuntur omnia miraculis plena, quæ partim accidisse illi, partim ab illo designata, omnia prope supra humanam conditionem dicuntur. Per preces enim in vtero conceptus est. Quin & priusquam cõciperetur, Ioannes Baptista Christi prodromus, matri futuram pueri sanctimoniam

prædixit. In lucem editus à siniſtra matris papilla ſemper abſtinuit. quod certũ erat argumentum puerum ad recta ſemper ſtudia, declinatis omnibus prauis & siniſtris actionibus, progreſſurum. Sexto porro ætatis año, quo tempore propter animi imbecillitatẽ pueritia adhuc à ſeriis negotiis vacat, & temerè obuia conſectatur, hic tamen omnibus præſentibus ac humanis rebus contemtis montem conſcendit, & breui tempore ad vitæ aſperitatem, & omnia incommoda adſueuit. Vnde frequentibus dignatus Dei cœlitumque aſpectu & conſuetudine, à quibus, propoſitis, quæ ſequenda eſſent ſtudiis, quid agendum foret docebatur. Hinc, quod ſupra naturæ conditionem eſt, non amplius humanis viuebat alimentis, ſed cœleſti paſcebatur ambroſia, quoad vitæ modum faceret, atque ad Chriſtum abiret. Sed hæc omnia cum innumerabilibus eius miraculis, in hiſtoria largè exponuntur. Enimuero hoc vnum præ ceteris inſinuandum puto, quod à teneris relicto ſæculo, primũ cœnobium ſit ingreſſus, in quod ex monte, quem ſexennio toto incoluerat deſcendit, vbi columnam aſcendit, in qua annos duodecim moratus, rurſum in admirandam rupem ſterili

ſaxo

saxo asperrimam digressus, decem ibidem annos posuit. Postea in tenui columna, annos quinque supra quadraginta traduxit, itavt vniuersè vitam ad quintum & octogesimum propagarit, ex quibus nouem supra septuaginta cœlestium ritu sine mortali victu, in arcta religionis disciplina, & patientia transegit, & mortis somno potitus in cælitum ordinẽ, & censum dignitatemque est redactus.

ANNOTATIO.

SImeones Stylitæ plures feruntur, natu maximus, & à sanctitate vitæ celebratissimus est hic de quo agimus, cuius laudatores varios & scriptores plurimos memorat Baronius in Fastis Martyrum 5. Ianuarij, ad quem locum te mittimus, vbi de hoc plurima, de aliis duobus obiter nonnulla, Obserua aliud esse Stelitam, & aliud Stylitam, στήλη est sepulchralis cippus: Stelites, stelæ ob infamiam inscriptus. στύλος est columna, & στυλίτης seu stylita in columna collocatus, degensque. Interpres ergo Palladij haud satis cautè στυλίτην vertit stelitam, nisi forte in codice Græco pro στυλίτης legerit στηλίτης.

Cæterum hunc Simeonem reor auctorem fuisse Stylitarum, eius enim exemplum, vt Cedrenus narrat, mox secutus est Daniel. & deinceps æuo posteriores. In anno Iustini error est, neq; enim ad Iustinum imperatorem Simeon peruenit, qui anno quarto Leonis, Christi CDLX. è columna cœlum ascendit.

S. ISA-

30. Maij. de eod. 3. Augusti cũ Fausto & Dalmatio.

S. ISAACIVS CONFESSOR, DALMATARVM PRÆPOSITVS.

HIC ex oriente profectus Imperante Valente Ariano, Constantinopolim venit. Imperator cum bellum in Gothos moueret, beatus hic pater illi occurrit, suasitque & rogauit, vti Catholicorum seu Orthodoxorum Ecclesias aperiret: Recusantẽ secundo aggressus eadem rogauit, vti nempe reseraret templa Catholicorum, si modo saluus ex hostium conflictu fugiturus reuerti cuperet. Imperator autem super hac illius in dicẽdo libertate offensus, præcepit vti cæsus in vepreta abiiceretur. tertio tamen eundem rursus occupat, manusque freno iniicit, idem precatus, aperte etiam denunciato exitio, nisi Christianis sacraria redderet. Vnde maiori concitatus ira illum Saturnino & Victori custodiendũ tantisper dedit, dum ipse patrato bello, cũ pace reuerteretur. Hic, vir sanctus; *Si saluus & in pace reuerteris, non est mecum locutus Deus. Etenim victus ab hoste fugies, & captus obsessusq; igni ambustus vitam finies.* Bello igitur congressus cum hoste, victusq;

Achy

Achyronem vna cum præposito, qui Arianapeste infectus, Imperatorem semper in orthodoxos concitauit, profugit, vbi à Gothis igne concrematus periit.

Ob hanc igitur dicendi libertatem, & rectæ fidei professionem, & quod imperatori mortem prædixisset, clarus magnusque habitus: reliquum vitæ tempus Constantinopoli vrbe imperatrice transegit, ac tandem ad Dominum emigrauit.

ANNOTATIO.

HANC de Isaacio viro sanctissimo historiam Theodoretus lib. 4. c. 30. Cedrenus, Zonaras, Nicephorus in Valente confirmant, adduntque, præter alia, Isaacium in vinculis prædixisse necem illius, eo ipso tempore quo concrematus interiit. Refertur hæc historia in Menologio iisdem pæne verbis.

S. EVSTATHIVS PATRIARCHA ANTIOCHENVS. 5. Iunij.

HIc Constantini M. primi inter Imperatores Christiani ætate vixit, & in omnes orbis partes rectæ fidei & sapientiæ radios distulit, qui in prima Nicæna Synodo interfuit, veræque religionis disciplinã tradi-

tradidit;&eorum fundamenta euertit,qui diuinam secare naturam conabantur, &filium dignitate & maiestate patris priuare, inferioremq; dicere. Quare cum propter huius viri diuinam præsentiam,& ob rectę fidei defendendæ singularem ardoremEusebius Nicomediensis, & Theognius Nicænus,& Eusebius Cæsariensis, cæterique quotquot ex Ariana, hoc est impia secta impii propugnatores extitêre, inuidia torquerentur,perspeciem visitationisin transitu (nam Hierosolymam iter subornarat) vbi Antiochiam peruenere, ei dignitatem patriarchatus communibus sententiis abrogant; causam aiunt fuisse, mulierculam quandam impuram, magnis fatigatam donis ab Arianis, quæ recens modo editum adferret infantem,& diceret apud Episcopos, eum se ex consuetudine cũ Eustathio habita peperisse: cum ipsi essent huius fabulæ architecti, accusationem solo iuramento confirmatam, ratam habuêre,& S. Eustathium exauctorarunt. Imperatori persuadent, vti exilij sententiam in eum pronunciet. Ergo per Thraciam * Philippos exulatum mittitur, vbi ad mortem vsque mansit. Post centesimum demum annum, imperante Zenone, sacrosanctæ illius

Huiusmodi calumniæ D. Athanasio, Simoni Salo, Methodio Patr C. Greg. Agrigentino. & aliis impactæ.

**Traiano polim habet Martyrolog. Rom*

us reliquiæ Antiochiam sunt translatę, vniuerso populo ex vrbe ad decem millia passuum occurrente, sanctũque corpus cum ingenti applausu vocum hymnorumque excipiente. Hunc eximius Chrysostomus publica laudatione est prosecutus. Illa autem muliercula, quæ S. Eustathio calumniam stupri impegerat, exitiali morbo correpta, dicitur palàm apud omnes imposturam S. viro factam reuocasse, auctorumq; eius falsæ criminationis nomina singulatim edidisse, à quibus se pecunia inductam confessa est. Iusiurandumque non quidem fallum omninô dixisse, sed peruerso intellectu & ambiguo sensu nominis abusam esse. nam reuera à quodam Eustathio ærario corruptam, fœtum concepisse.

ANNOTATIO.

ET hoc Orientis sidus clarissimum à clarissimis auctoribus, præter Latinos & Græcos sanctorũ Fastos prædicatur, inter quos Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodorus Lector, Sozomenus, Socrates & alij. Missus est in exilium à Constantino Magno, vt ex Diuo Athanasio ostendit Baronius in apologia Constantini M. & notis ad Martyrol. Roman. 16. Iunij, quo die Latini huius memoriam celebrant, vt Græci Nonis Iunij & 9. Cal. Martij.

S. ALE-

6. Iunij.

S. ALEXANDER ET ANTONINA MARTYRES.

HI è Dardamo vico oriundi: S. Antonina, cũ honestè pudicèque ætatem degeret, comprehensa à Festo, cum Christo renunciare nollet, dęmonasque execraretur, fornice meretricio includitur. Vbi cũ triduum totũ impransa, & incœnata transegisset, concubia nocte subito lux affulsit, tonitruque fragore fores cellæ patuêre, voce cœlesti cxaudita, quæ illam iuberet cibum capere. Petito ergo cibo refecta exiuit, rursumque se præsidi stitit, sed ne dum idolis supplicem, calcibus impeti cædique imperat, & denuo in lupanar deduci, quod admonente cœlite ingressus Alexander (qui octauum & vigesimum annum nondũ excesserat, videbatur enim ad vitiandã Antoninam intrasse) clam virginem lenula tectam emisit, ipseq; eius loco in cella mãsit. Re pauló post per milites, qui ad eam opprimendã irruperant, cognita, Alexander ad præsidẽ deductus verberatur, mox & virgine capta, vtrique extrema pedum manuùmq; præciduntur, dein in ahenum igne efferuescens immissi, liquidaque pice perfusi, extrahuntur & abiiciuntur, itaque simul

simul beata morte perfunguntur. Illorum celebritas agitur Constantinopoli in cœnobio Maximini, vbi sancti illorum cineres repositi seruantur, vnde ægri multi salutem velut è fontibus hauriunt.

ANNOTATIONES.

HAc arte vestium plures euasere virgines. Laudat S. Ambrosius virginem Alexandrinam (ita legendum pro Antiochena, hæc enim Theodora fuisse creditur) quam celebrant Fasti Latini 28. Aprilis. Sed hæc Antonina planè diuersa est ab illa Theodora: vti & illa Corinthiaca Hippolyti. *Cum enim*, inquit Baronius de hac Antonina, 3. Maij *frequenter Christianæ fœminæ ad prostibulum damnarentur, sæpius similis casus potuit accidisse.* Porro eiusmodi fallaciæ artem eludendi custodes, mutatione habitus, primæ omniũ suo exemplo docuerunt fœminæ Lacedæmoniorum, quæ ijsdem technis maritos suos à nece subduxerant, seipsas loco illorum tradentes. Val. Max. lib. 4. cap. 6. De amore coniugali.

16. Iunii, 1.

S. TYCHO EPISCOPVS AMATHVNTINVS IN CYPRO.

HAbuit hic pios & religiosos parentes, à quibus Deo dedicatus literaturæ sacræoperam dedit, in quarum meditatione

assiduè versatus, sacrorum oraculorum lector ad populum est designatus. Deinde propter singularem vitæ honoſtatem. puritatemque & morum inculpatam sanctimoniam à Mnemonio Amathuntis pontifice Diaconus creatur, ipsoque vita decedente, ad gradum pontificatus à magno Epiphanio euehitur, qui vbi multos à vana & stulta idolorum superstitione ad veram in Christo religionem conuertit, fana Deorum euertit, sacra templa Deo excitauit, ornauit, initiauit, ad Dominum est translatus. Miracula cum in vita compluria, tum post mortem ab eo facta: ex quibus exempli causa vnum alterúmue, vnde viri virtus eximia appareat, recensebo. Admodum puer adhuc à patre panes acceperat (nam artopola erat) quos in foro venderet. Sed puer omnes, in egentes distribuit. Quod vbi pater resciuit, indignam rem arbitratus, grauibus puerum conuitiis est insectatus; qui dixit se Deo panes dedisse mutuos, & mox recepturum, eiusque rei se syngraphan habere. Et ecce dictum factum: granaria quippe mox frumento pleniora sunt reperta, quam tum erant, cum pater horrea post collectam messem implerat, nec inde quicquam adhuc esset depromtũ.

Sed

Sed hoc miraculũ aliquam habet comparationem, quod & ab aliis idem factitatum legatur, & beneficentiæ liberalitas ex Dei munificentia proficiscatur, qui mensuram augeat cumuletque effusè. Illud autẽ peculiariter Tychonis laudem cõmendat & causam, quod huic singulare est. Aridum vitis surculum humi depanxerat, qui statim radices egit, dein etiam * ante tempus germinauit maturuitq; : Nam vbi sexta decima Iunii, quæ dies huic sacra est, maturi botri reperiuntur? Hic autem palmes intra breuissimum tempus maturos procreans fructus inchoante re diuina, & psalmorum cantu, vuas ostentat iam liuentes & coloratas: finito sacrificio coctas iam & maturas, & ad gustum gratissimas ad Dei Patris & Filii, & Spiritus sancti laudem & gloriam exhibet. 2. *3.

ANNOTATIO.

LAtini Græcique Fasti hunc Tychonem prædicant. 1.

Quod de frumento narratur, multis id sæpius euenisse rectè dicitur. Nam D. Gegrorius lib. 1. dial. c. 9. huic prorsus geminum refert de Sancto Bonifacio adhuc puero. Laudatur ab eodem S. Benedictus lib. 2. c. 21. & 28. & 29. Lege Iulium Fulcum de eleemosyna. 2.

3. Ita à Hieronymo Emſero in actis S. Bennonis, qui hodie Monachii metropoli Bauariæ ingentibus fulget miraculis, refertur, ſata quæ viuus quõdam Benno tranſierat, multo ante tempus maturuiſſe.

17. Iunii. *Martyrol. eod. die.*

S. BESARION ANACHORETA.

HIc in prima pueritia, abdicatis rebus humanis Scetanam eremum ingreſſus, ad tantam promouit exercitatione virtutem abſtinentiæ & egeſtatis, vt ritu alitum, aut piſcium, animantiúmne, ſine vlla rerum præſentium curâ, totum vitæ curſum tranſigeret; non tectum quærebat, nõ vllo deſiderio loci certi, non appetitu cibi tangebatur, non cellarum vſum, non librorum ſarcinas amabat, ſed ab omni prorſus affectu expeditus, ſpe rerum futurarum paſcebatur, & fidei propugnaculo tutus perdurabat, & tamquam captiuus, modo hic, modo illic, in frigore & nuditate manebat. ſole aduſtus ſub dio aſſiduè ſtabat, in prætuptis ſolitudinum, velut erro quidam hærebat. In ſabulosâ terrâ, ſæpe prorſusq; inhabitabili, perinde ac ſi pelago iactaretur, patientiam exercebat. Totus quadraginta dies & noctes in rhamno quodã ſpinoſoq;

noſoq; rubo immotus perſtitit, vt dormiret, cubaretque nunquam. Annis quadraginta numquam in latus cubans ſomnum cepit, ſed vel ſtans vel ſedens dormiuit. In huiuſcemodi palæſtra exercitatus ad Dominum victor abiit.

ANNOTATIO.

NOn ſatis expedio, an hic idem ſit Beſarion cum eo quem deſcribit Palladius. Hic enim tantum generatim eius virtus inſinuatur, ibi ſigillatim de tunica & libro Euangelii venditis, & pauperibus donatis ſcribitur. Adde Palladii Beſarionē à Leontio dici Serapionem, Baronius hunc Beſarionem affirmat, de cuius diſciplina fit mentio in vitis patrum.

S. PAPIVS M.

25. Iunii. *Martyrol. Rom. & Græc.*

DIocletiano & Maximiano imperantibus, Papius Chriſtianis maioribus ortus, Chriſtum prædicauit, quamobrem delatuscapitur, præſidiq́ue ſiſtitur, & immolare Diis iubetur. Cum non ſolum nō cederet, ſed vltro etiam præſidi inſultaret, vehementer iram eius accendit. Manibus ergo pedibusq́ue diſtentus, boiis crudis diu atrociter verberatur. Deinde in ahenū ingens oleo aruinaq́ue plenum tribus diebus im-

mittitur. Et visenda cunctis res videbatur, hominem igne velut indumento cinctum, septem dies tormentum illud perpessum esse, quo spectaculo magna vis hominum ad Christi cultum ab eo perducta. Inde extractus in ferreis muricib⁹ seu tribulis voluitur, & ad indomitos religatus equos per aspera & ardua locorum raptatur. Hinc in caput à pedibus per triduum, appenso immani de collo saxo, in trabe suspenditur. Post triduum, inciso fune, sanctus in terrá præcipitatur. Rursumque in ingentem rogum toto corpore coniicitur, saxaque in iacentem exaggerantur. Sed angeli præsentis ope omni saxorum pondere eximitur, saluusque & integer consistit, vnde lictores, magnamque hominum copiam ad fidem attraxit, qui mox omnes capite puniti sunt. Postremo & ipse gladio cæsus, ad laudem & gloriam veri Dei nostri, occubuit.

6. Iulii. DE VESTE B. VIRGINIS.

GAlba & Candidus gemini patricii, germani fratres adorandi causa Hierosolyma m profecti, in Palæstinam venerunt, quibus-

quibusdamq; Galilææ oris peragratis, apud quandam Hebræam matronam, B. Virginis venerandam veſtem repererunt, quam vt acquirerent, hac arte vſi ſunt. Hieroſolymam peregrinati, omnia illic loca ſancta venerabundi adierunt, arculamque perſimilem illi, in qua Dei matris multum honoranda veſtis cuſtodiebatur, fieri curarunt. reuerſique ad matronam, ſuam illam vacuam ad ſpeciem reliquerunt, illam verò, in qua ſacroſanctum illud & diuinum erat indumentum, ſublatam ſecum aſportarunt, & Conſtantinopolim regreſſi, in ſuburbio ſuo, cui Blachernæ nomen, condiderunt, clam omnibus theſaurum ſeruare conati; cum fruſtra fuiſſent, Imperatori rem aperiunt, qui allatæ veſtis nuncio incredibili gaudio affectus eſt, dum eam exoſcularetur & complecteretur, temploque in ipſis Blachernis excitato, arcam ibidem repoſuit, vbi & hodie ſita eſt, quam velut cuſtodem vrbis, & omnium morborũ medicam officinam ciues experiuntur.

ANNOTATIO.

Blachernæ ſunt in ſuburbio Conſtantinopolitano, dictæ quibusdam à rege quodam eum locum tenente. Zonaras narrat à Pulcheria Theo-

dosij iunioris sorore ædificatam in Blachernis ædē D. Virgini, quam Iustinianus, auctore Procopio, instaurauit. Iustinus nepos Iustiniani, teste Cedreno, duos arcus addidit. Anastasius triclinium, Tiberius balneum, vt Suidas tradit. Leo magnus in littore templum Deiparæ excitauit; in eaque vestem hanc B. Virginis deposuit. Cedrenus 17. Leonis anno id accidisse scribit. Nicephorus lib. 15. c. 24. totam hanc de veste V. historiam exponit, eiusdemque c. 14. vbi de Pulcheria agit, mentionem facit.

11. Iulii. vide 16. Iulii.

S. EVPHEMIA M.

IMperantibus religiosissimis principibus Marciano & Pulcheria, concilium*Chalcedonense sexcentorum triginta patrum celebratum est, in quo patres Eutychen & Dioscorum, & horum assecias, qui vnam duntaxat in Christo naturam, vnamq; voluntatem impiè propugnabant damnauerunt. Qui cum à sententia deduci non possent, aliter hos aggrediuntur. Fidei Catholicæ & orthodoxæ professionem editam vno in volumine describunt; monentque hæreticos, vt ipsi vicissim suum dogma & sententiam altero libro complectantur. Dein vtrumque tomum signis clausum, reseratâ tumbâ sanctissimæ Euphemiæ Martyris, super pectus reponunt abeuntque.

*In ade illius, vide Euagrium lib. 2. c. 3.

Post

Post dies aliquot reuersi volumen hæreticorum ad pedes S. Euphemiæ, reperiunt abiectum: alterum autem Catholocorum volumen in venerandis manibus S. Martyris inueniunt; quo facto & hæretici pudore confusi, & Orthodoxi nouo gaudio cumulati sunt.

Sancta porro Euphemia Diocletiano imperante, & Prisco Europæ Proconsule, Chalcedonis alumna vrbis, de Christiana religione, accusata apud Proconsulem igne cruciata est, & feris obiecta, cæterisq; tormentorum generibus affecta lauream martyrii reportauit.

ANNOTATIONES.

S. Euphemiæ dies agitur 16. Septembris. auctores, qui Martyris acta perscribunt multos laudat Baronius in Fastis Martyrum. Sed hoc miraculum Euphemię, in concilii Chalcedonensis Actionibus non recensetur, aiunt enim post concilium illud esse peractum, quemadmodum & illud quod in primo Nicæno accidit, cum duo mortui Episcopi sententias subscripserunt. Hic tamen, ex sententia reor Nicephori, quem non sequimur, perinde res narratur, atque si ab ipsis patribus inter consultandum, ad hoc miraculum fuisset appellatum. quod aliter euenit. Audi quid Cardinalis Baronius Annali. 6. A. C. 451. de hoc miraculo ex diuersis scriptoribus disputet. *Hic*, inquit, *adijcienda*

putamus, quæ apud aliquot Græcos auctores leguntur de eadem fidei definitione diuinitus per sanctam Martyrem Euphemiam confirmata. Sed quod diuerso modo ab eius scriptoribus singulis, res tanta narretur, quisnam eorum magis scopum veritatis attigerit, est quam exactissimè disquirendum. Apud Constantinũ Episcopum in Oratione quam habuit de inuentione sacrarum reliquiarum S. Euphemiæ, hæc narrantur:

(a) *Apud Metaph. die 11. Iulij*

(a) Quando Christi gratia, quarta, Chalcedone Synodus, tempore beatæ memoriæ, Marciani, qui piè & sanctè imperauit, fuit congregata, cùm aduersus Dioscorum Papam Alexandrinum conueniisset, & iam hæreticos anathematizasset, & Orthodoxæ fidei symbolum confirmasset, & decretum exposuisset, columnam orthodoxæ fidei: dubitantibus ijs qui erant ex parte contraria, bono capto consilio, dixerunt: Age, benedictæ Euphemiæ arcam aperientes, in eius quæ sunt in carne, & sunt mirabilium operum effectrices, reliquijs, librum ponamus; vt per eam nunc quoque virtutum Dominus faciat miraculum, & per eius preces nobis aperiat, an ex eius voluntate editum sit hoc fidei decretum. Cum hæc ergo feciſſent. simulatque appropinquauit charta pretiosis eius reliquiis, aliquid mirabile & magnum fecit Dominus opifex miraculorum. Nam cum martyris mortuam & inanimatam manum animasset, eam extendit. Cum autem chartam manu accepisset benedicta Christi Martyr, & eam esset amplexa, piæ rursum reddidit fidei decretum ministris rectæ fidei. Hoc cum omnes essent admirati. & stupore essent repleti, laudauerunt Dominum omnipotentem. Et sic in perfectione rectæ fidei stabiliti, confirmarunt sanctam & œcumenicam quartam Synodũ

per

per revelationem quæ facta est à benedictâ Euphemiâ, hactenus narratio Constantini. *Sed apud zonaram* (b) *res aliter recensetur in hunc ferme modum:* Cum autem Eutychetis & Dioscori sectatores, qui in vrbe versabantur, decreta Concilij subsannarent, eiusq; autoritatem non veritate, sed potentia imperatoris niti dicerent, & prauitatem sententiæ suæ stabilire conarentur: Anatolius Patriarcha, & suffragatoribus suis & aduersarijs conuocatis, ad hos ita loquitur. Quoniam sententiam vestram adhuc mordicus tenetis, neq; vos perperam sentire creditis, sed nos incusatis quasi Nestorij dogma approbemus, cum duas naturas in Saluatore prædicemus, vtraq; citra confusionē proprietatem suam retinente: istius controuersiæ dubitatio, si placet, Deo permittatur. Scribatur igitur vestra de fide sentētia in vno libello, & nostra in altero: atque ambo in loculo glorioſę Martyris Euphemiæ collocentur; & huius iudicium esto, vtri rectè an perperam sentiant. Hæc cum hæreticis etiam placuissent; libelli scripti, remoto lapide, qui loculum claudebat, pectori Martyris apponuntur, & lapis in suum locum repositus ab vtraq; parte signatur. Dehinc supplicationes fiunt, & preces ad Deum peruigiles, vt demonstret, vtra sententia ei cordi sit, & quæ reijcienda videatur. Post triduum conueniunt, Imperatore etiam præsente. Aperto loculo (ô rem mirabilem) libellus hęreticorum ad pedes Martyris inuenitur; alter in manu eius dextrà, quam extendisse fertur ad Imperatorem & Patriarcham, ac libellum eis porrexisse. Itaque rectæ sententiæ assertores plaudere, aduersarij verò demissis vultibus, & præ pudore caligantibus abire, quidam etiam veram sententiam amplecti, hactenus Zonaras.

(b) *Zonar. Annal. tom. 3.*

Nice-

(c) Niceph. lib. 15. c. 5.

Nicephorus autem hæc ipsa referens, (c) id factum à Patribus qui ad Synodum conuenerunt, affirmat, reliqua verò per omnia Zonaræ consentientia habet. Red quænam horum trium Græcorum auctorum sit reiicienda, vel probanda ratio, videamus. Quod ad Constantinum spectat, haud probatur assertio de hæreticis ea de causa ad fidem Catholicam redeuntibus: cum præsertim nec esse soleat illorum hæreticæ pertinaciæ, de his quæ asserunt dubitare, & à Deo quoquo modo auxilium quærere. Sed & cum tempore Synodi id factum referat, ex ipsis Actis, tunc exactè conscriptis mendacij arguitur auctor: haud enim res tanta silentio sepulta prorsus relicta esset: cum alioqui ipsa acta declarent, hæreticos Eutychianos, qui semel aduarsari cæperunt, in eodem errore obstinantissimè permansisse.

Sic itaque nec recipiendum penitus quod asseritur à Nicephoro, id factum à Patribus in ipso Chalcedonensi Concilio: longè longius enim abest, vt Patres in sacris œcumenicis Conciliis ex miraculis quæsierint dogmatum veritatem, quam ex diuinis inprimis Scripturis, & antiquis Ecclesiæ traditionibus, ac demum ex Sanctorum Patrum assertionibus quærere, proponere, affirmare ac stabilire consueuerunt. Vt planè insulsum & omninò commentitium esse appareat, quæsisse tunc Patres per eiusmodi miraculorũ veritatem. Sed si id (vt vult) consulta Synodo factum est: curnon tanta scriptis mandari prætermissa est, atque inseri Actis publicis? Euanescit igitur omni ex parte commentum, vt ex Patrum consensu, immo ijsdem fuerit auctoribus factum eiusmodi experimentum.

Quod reliquum est, assertio Zonaræ examinanda venit: qua ponitur id post Synodum factum, dum in vrbe Constantinopolitana tumultarẽtur Eutychiani:

cum

cum ad sedandus eiusmodi turbas, quibus potuissent perfacilè commoueri, Anatolius magna fiducia illud consilij inierit, vt edito miraculo & populus in officio contineretur, & hæreticorum cohiberetur audacia. Habet Zonaras Glycam adstipulatorem, qui id factū post Synodum Chalcedonensem, tumultuantibus rursus Episcopis quibusdam & Monachis, ab Anatolio tradit quadam ferme necessitate compulso hoc ipsum inire consilium. Quibus quidem auctoribus haud penitus refragamur, cum alia plura non desint exempla suis locis inferius recensenda, quibus probatum redditur, sæpè à sanctis viris altercationes insuperabiles tum hæreticis obstinantissimis semel susceptas eiusmodi miraculorum virtute esse extinctas, & titubantem populum confirmatum, idque priuato diuini Spiritus factum instinctu: cum tamen ad veritatem confirmandam firmiorem esse Propheticum sermonē, ipsam nimirum diuinam scripturam: S. Petri Apostoli testificatione habeatur expressum. Hæc Baronius, vnde discis de veritate historiæ nullam esse dubitationē, sed de tempore tantum disputari, nec inter Concilij dies actam. *2. Petr. 1.*

S. GOLINDVCHA M. MARIA POSTEA COGNOMINATA.

13. Iulij. In Menol. 81.

PErsis hæc erat patria, vxor magorum principis, regnante Cosroe, in Persida, imperante Mauritio: ad Christi fidem ex viso quodam cœlesti conuersa. Etenim animo diuinitus à sensibus auocato, cernebat maiores

maiores ſuos, & quicunque Chriſtum non coluiſſent, apud inferos æternis ignibus cruciari. Quare & à coniuge ſuo archimago, & ipſo rege in cuſtodiam, quam Lethen appellabant, adducitur, in qua totum octennium verſata, cum à Chriſto auelli nõ poſſet, in antrum vbi draco ſtabulabat, cõijcitur, cum quo quadrimeſtre morata, illũ adeo cicurauit, vti in eum, quietem captura, caput reclinaret, atque Dei munere neque famem vllam ſentiret. Hinc poſtea extracta, Coſroë filio ſiſtitur ad quæſtionẽ, lorisque ſecatur, in quo ſupplicio papilla illi rupta eſt. Coniecta dein per caput in culeum cinere viuo plenum, & concluſa in angulum quempiam abiicitur, ex quo tamen illæſa euaſit. Inde in ganeo ſeu lupanari proſtibuli loco exponitur, ad quam cum multi impurorum irrumperent, illam tamen non repererunt. Ducta ad ſupplicium ab angelo erepta eſt; quod illi occumbere cupienti parum gratum fuit. Ergo angelus arrepto gladio percuſſuro ſimilis illã ſecundum ceruicem icit, vulnusque viſus infligere, vnde ſanguis profluxit, quo veſtes Martyris ſunt purpuratæ, quarum attactu varia morborum genera curata. Sed ſancta Martyr Hieroſolymam profecta ſanctis

Hæc aliter Nicephoro quẽ infra in Annot. leges; alteráq; Simocatta.

ctis locis cum veneratione cultis, de discrimine Catholicorum & hæreticorum diuinitus edocta, reuersáque Constantinopolim, rebus mortalibus relictis, ad cœlestia migrauit.

ANNOTATIONES.

DE hac Menologium Græcum XI. Iulij, in cæteris non reperio. Nicephorus lib. 18. c. 25. ita eam describit. *Tum temporis verò etiam Golinduch martyr viuens enituit. Magis Persicis prognata, Asmodoch scilicet patre, & Myzuch matre; quæ, pro illorum religione, ignem & aliarum Persarum abominationes colens, & ipsa execrata Deoq; detestata idolomania & magia dedita erat. Primario autem ex senatu viro in matrimonium collocata, duos progenuit filios. Et post triennium per extasim extra se ipsam rapta, ab angelo, diuino dispensationis salutis nostræ mysterio est initiata. Proindeq; Magis tradita, multisq; verberibus, & tormentis, quæ omnia superauit, expedita, miracula infinita, & prodigia mirifica edidit: identidem angelo, qui dux eius fuit, ad eam veniente. & vt leuiter & facilè omnia perferret, curante. Multas etiam res arcanas indicauit, vtpote prouidentiæ gratiam à Deo consequuta. Postquam verò per multos annos tormentis excruciata, coronam martyrij ferre concupiuit, qui ei sæpius apparere solitus erat angelus assistens, & iuuenem quendam ensiferum producens, desiderio eius satisfecit. Præcipiente namque illo, iuuenis ferro caput eius resecuit: & sanguis è iugulo profluens, in interiorem eius lineam vestem femorum tenus cruentatam, manauit. Quæ ve-*

stis

stis innumera visa est edere miracula, atque illa etiam post resectionē capitis deinceps superstes vixit. Et quum in Romanorum finibus, ad Cicersium & Dara morata fuisset, etiam ad Hierosolymorum partes peruenit, nouum spectaculum omnibus fidelibus, quippe viuente adhuc corpore stigmata Christi circumferens, visa. Hæc sanè quum grauiter à martyrij ærumnis afficeretur, vrbes circuibat, angelo duce progrediens, Neque quicquam medicinæ doloribus adhibuit, natiuis tantum thermarum lauacris vsa. Et quum domesticos suos, & familiares omnes, atque alios præterea ad Christum adduxisset, tandem Hierapoli, seculo hoc relicto, ad immortalem illam vitam concessit. Quæ viuens adhuc ab Imperatore in vrbem suam accita, imperio eius non paruit. Eius vitam Stephanus Hierapolitanus episcopus composuit, qui cum illa fuit, & res quasque ab ea didicit: honorificè etiam & splendidè, corpore sepeliendo, funus eius prosecutus. His certiora opinor scripsit Theophilactus Simocatta, ex quo libet transscribere Pontani nostri interpretationem lib. 5. c. 12.

Refert autem fama, quo tempore Chosroes in regiam redierit, fœminam vixisse apud Hierapolim Golinducham nomine, sed τίς τε πόθεν quæ, & vndenam fuerit, secundum poëtam, dicatur sanè, vt magnificentissima narratione perfruamur. Nata est Babyloniæ è Magorum familia. Pater eius de illustribus Præfectis, Vectigalibus Persicis exigendis præerat. Postquam verò ætate florescens, viro tempestiua esse cœpit, homini nobili despōsata est. Fortè epulis cum marito accumbebat, cum visa est repentè viribus defici, manereque immoto corpore, & longo interuallo sensibus conualescere. Qui casum intuebatur (si modo diuinam hanc ecstasin

casum

casum nominare licet,) adolescentulam interrogant, quid ei acciderit. Respondet, acerbas se alicubi sub terra pœnas constitutas; magnorum contra bonorum delitias Deum maximum colentibus decretas vidisse: quem Christiani religiosè venerantes, à Persis irrideantur. Tum vir, eius verba subsannare, perspectoq; constanti illius Christiani mi complectendi proposito, fustibus impingēdis ad sanitatem reducturum arbitrari, necem insuper minitari, quam Persæ more maiorum illis inferunt, qui magorum dogmata aspernantur. Sed illa diuino amore mentem erecta, aures claudere, dicta in vento atq; aqua scribere. Eidem alia quædam diuina, præstantiorque illustratio contigit: Astitit enim Angelus, forma & veste fulgentissimus, iterum priora ei spectacula exhibens, & mox futurum mariti obitum prænuncians. Prædicta eueniunt, maritus diem suum obit. Mulier relicta Babyloniâ Nisibin proficiscitur, ibiq; Christianorum Sacerdotes nacta, vicissim confitetur magnalia spiritus, atque ab ijsdem sacerdotibus verè cœlesti & arcana Christianorum disciplina initiatur. Hoc vt magi compererunt, eam requisitum se in viam dant. Nisibi adsunt, & blanditiis potissimum agunt, indeque abducere secum fœminam conantur. Cum verbis actum agerent, tetro carceri eam longo tempore includunt. Sed auxilio Dei omnia circumspicientis, eamque nullo tempore absque testimonio sibi relinquentis, angelo apparente è custodia exit, atque Romanorum prouinciæ succedens, apud Hierosolymam insignem, & inenarrabilem Dei magnificentiam diuulgat, sacrisque precationibus ad sepulchrum magni Dei, & saluatoris nostri IESV Christi offusis & crucem passi

monumentum similiter venerata, Hierapolim regressa est, multaque euentura, Chosroe vaticinata (cum etiam Romanis de eius ad ipsos perfugio ac transitione, antequam fieret, prædixisset) & vita exemplo Angelico, atque vt decet sancto, tum animo tum corpore traducta, ab his rebus mortalibus discessit, tolerantiæque corona cum triumpho sempiterno redimita est.

Eadem paucioribus habet Euagrius lib. 6. c. 20. qui Galanducham nominat. Ego Simocattæ narrationi potissimum subscribo.

16 Iulij.

S. ATHENOGENES M. & P.

ERat hic Sebastenus origine, Diocletiani imperio, captus à Philomarcho cum decem discipulis, multaque tormenta perpessus, tandem gladio vitam amisit. Fertur priusquam comprehenderetur, reuisenti ad monasterium suum, in quo tamen neminem offendit, quod omnes iam capti essent, cerua quam in cœnobio aluerat, occurrisse, cui bene precatus vti ne vmquam in venatione, vel illa vel hinnuli illius caperentur, sed vt quotannis ad rei numquá intermoritutæ memoriam, & ab ipsa, & post ipsam ex eius propagatione hinnulus adduceretur. quod & factum. Semper enim post S. Euagelij in templo lectionem,

cerua

cerua ingredi visa, quæ hinnulum sancto obtulit, rursumque recessit, hinnulum autem cætus ille sacerdotum, qui rebus diuinis operabantur ad S. memoriam summa cum animi hilaritate absumserunt, quod Christianis iuxta ac aliis summam attulit admirationem.

ANNOTATIO.

METaphrastes XVII. eius gesta refert, nec omninò cum his conuenit. Consule Baronij Martyrologium.

S. MARINA M.

17. Iulij. *Menol. & Menæa.*

EX Pisidiæ vico ad Antiochiam, orunda Aedesij Flaminis nata vnica fuit, quam pater defuncta matre, nutrici cuidã educandam commisit. Duodecennis Christianam fidem suscepit, quam à quibusdam vicanis ibidem edocta fuit. Sexto decimo anno martyrij desiderio percussa, certamen aggredi & perficere cupiebat. Quam Olymbrius præses ad se delatam comprehendit, atque in vincula coniecit, & post dies aliquot ad tribunal adductam intuitus, ob præstantem eius formam admiratione defixus rogat nomen, & conditionem, quæ: Marina, inquit, audio, Pisidiæ nata & alum-

na, nomẽ Domini mei inuoco. Recusantẽ eierare Christũ, iussit præses extentã virgis adeo immaniter lacerari, vt terra sanguine purpuraretur: Dein suspensam carpi & laniari. Hinc cum in custodiam retrusa esset, mox ingens terræ tremor totum concussit carcerem, vnde draco prorepens formidabilem reptando stridorem excitauit, flãmaque illam cingere & inuoluere videbatur. Territa illa totoq; corpore perhorrescens sese in preces dedit, itáque terrificum illud monstrum in atri canis formam mutatum est. quod sancta fæmina pilis arreptum, globo reperto secundum caput & tergum tam diu pulsauit, quoad penitus edomaretur. Rursum dehinc in aliam protracta quæstionem facibus ardentibus vstulatur, & in vas aqua plenum per caput immittitur, quibus in tormentis multos ex perfidia Dæmonum ad Christi fidem traduxit, quibus omnibus ceruices sectæ: Præses etiam his concitatus Marinam securi percussit.

1. Augusti

I. TRANSLATIO CORPORIS S. STEPHANI PROTOMARTYRIS ET ARCHIDIACONI.

Hæc

HÆc secundo Augusti peragitur, de qua hæc narrantur.

Multis annorũ curriculis post S. Martyris cædẽ Christi causa factã circũactis, multisq; aliis ob Christum vltima omnia constanti animo passis, tandem illam tempestatem Ecclèsiæ, magna secuta est serenitas; carceres recluſi omnes, suppliciorum ergastula vacauere.

1. Constantino M. qui primus inter Imperatores Christum coluit, imperante, pace reddita, & Ecclesia per totum orbem in libertatem asserta, beatus hic protomartyris thesaurus est repertus. *Vide Annotat.*

Viro cuipiam qui vicum illum habitabat, in quo gemma hæc humi condita latebat, ætate, dignitate, & vitæ honestate venerabili Luciano nomine presbytero, semel, iterum, ac sæpius princeps hic Martyrum athleta, sese videndum exhibuit, seipsumque illi aperuit. Presbyter rem ad Ioannem Episcopum retulit, qui mox ingenti cumulatus gaudio, ad locum cum vniuerso sacroque hominum illius oppidi ordine properauit; terraque effossa inuenit tumbam, vbi repentè tellus vehementer mouit, gratissimaque odorum fragrantia circumstantes omnes afflauit, & Symphonia

cœlitum ad decimum vsque lapidem exau-
dita, illud solemne ingeminantium : Glo-
ria in excelsis Deo, & in terra pax homini-
bus bonæ voluntatis. Quin multę simul va-
riorum morborum curationes factæ gra-
tiã protomartyris declarabant. Exemplo
igitur Hierosolymorũ Patriarcha cum ge-
minis episcopis & sacro cœtu cleri, popu-
loque vniuerso, sacrosanctum illud corpus
magno delibut⁹ gaudio, venerabundus cũ
musico hymnorum luminumq; triumpho,
& incensis thymiamatum odoribus ingen-
ti cum honore & cultu ad Syonis montem
deportauit, eximiumque postea templum
in eadem vrbe ab Alexandro Senatore
conditum, qui multis à patriarcha precibus
impetrauit, vti venerandæ protomartyris
reliquiæ cum omni veneratione in eo re-
ponerentur. Nec amplius quinquennium
post translationem fluxerat, cum ipse Ale-
xander desperato morbo correptus, arcam
sibi persimilẽ illi in qua sancti corpus ser-
uabatur, fieri curauit, propterque sanctum
depositus animam edidit, atque in sarco-
phago suo iuxta Sanctum est collocatus.
Post annos autem octo, quam Alexander
ordinis senatorij, diem obierat, Constan-
tino M. imperante, & Metrophane pa-
triar-

triarchatum Constantinopoli administrãte, vxor Iuliana Alexandri, ne cùm propter ingentes opes, tùm corporis excellentem pulchritudinem, à multis ad alterum solicitata connubium, inuita nubere cogeretur huiusmodi consilium capit, vt corpore viri sui accepto Constantinopolim ad patriã & patrem recurreret, quæ diuino quodam decepta nutu, dimissa viri arca, sancti protomartyris tumbam lactymis perfusam cõplexa est, ac postremo reliquias in lectica collocatas iumento ferendas imposuit, Ita profectionem expediebat, tota porrò nocte cœlitum odaria & musicus concentus fuit exauditus, gratique odoris velut pigmentorum suauitas omnia, qua ferebatur implebat: Cacodæmonum quoq; lamenta resonabant, cum clamitarent, Væ nobis: Stephanus per nos medios incedit, & nos cruciat. Cum Ascalonem maritimam vrbem peruentum esset, nauigium quinquaginta aureis compararunt, cœptumq; iter mari prosecuti sunt, in qua nauigatione, quæ quantaque miracula euenerint, nullis compendio verbis exprimi potest. Vbi demum Constantinopolim nauem applicuit, & res tanta ad Imperatorem est delata, & relata, quæ matronæ accidissent, è vestigio

ipsa fœmina Imperatori, coram acta omnia à capite ad calcem vsque exposuit: tum verò inuictus Imperator ingẽti perfusus gaudio, patriarchæ cum toto religiosorum sacro ordine præcepit, vti summa cum veneratione & cultu sacrosancto pignori obuiam prodiret, illudque in regiam deduceret. Tum rursum prodigia multa, quæ nemo facile dicendo assequatur ostensa, vnum ex cunctis silentio nullo modo est prætermittendum. Trahebant currum mulæ in quo thesaurus ille erat repostus, dum venirent ad locum Constantianas appellatũ, in quo & depositus est, cum verberibus iumenta vt porro procederent, vrgerentur, altera mularum humana voce * quid, inquit, nos cæditis: hic Sanctus est collocandus. has voces & Pontifex, & cœtus vniuersus cum audisset, magnis vocibus in laudes Dei effusus est. Imperator ipse Christianissimus cognito facto rei miraculo attonitus, extemplo eodem in loco augustum principi Martyrum templum ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, & sancti famuli sui excitauit.

* *Apud Cedrenũ in Compendio mulæ itidem loquitur.*

ANNOTATIONES.

SCripsêre plures de hac principis martyrum Stephani inuentione & translatione. Nicetas philoso-

losophus, ex quo hæc sunt deprompta. Lucianus presbyter, Marcellinus in Chronico, Nicephorus lib. 14. c. 9. Gennadius, Beda, Sigebertus, & alij.

Errat hic Nicetas, non sunt inuentæ æuo Constantini M. Nec annum attigit Beda & Bedam secuti. Lucianus presbyter Consules signauit Honorium X. Theodosium VI. qui fuit annus Christi 15. Honorij certè & Theodosij ætate repertos docet, & Marcellinus & Nicephorus cum Gennadio. Lege Baronium Annali. V.

Non minus verè miraculum euenit cum idem protomartyr, postea Constantinopoli Romam est translatus, (Pelagio pontifice vt est in Martyr. Rom. 7. Maij) & in sepulchro D. Laurentij conditus cui honoris causa D. Laurentius dextram concessit uti his verbis narrat Illephonsus Giron Hispanus in concione de D. Stephano. Cuius, inquit, corpus translatum in Basilicam Diui Laurentij, a deo vrbanè à Laurentio ibi iacente exceptum est, vt glorioso Stephano tanquam primo Martyri primas dederit Laurentius, loculum suum in siniſtram transferens, dextram Stephano concedens. Ob quam causam ab Italis nuncupatur Laurentius vrbanus Hispanus: El cortes Espānol. ciuilis Hispanus. Nec tacenda S. Theodora Thessalonicensis matrona, de qua Menæa 5. Aprilis. quæ & ipsa religiosæ antistitæ suæ mortua mortuæ locum dedit in sepulchro.

S. MYRO EPISCOPVS CRETAE TAVMATVRGVS.

8. Auguſt. *Martyrol. Rom.*

A Vrace natus est hic, ciuitate Cretæ, haud procul Gnosso, qui pietate singu-

gulari aduersus Deum genus obscurius ex-
ornauit. Primum ducta vxore terrã coluit,
frugesq; labore partas in pauperes tribuit.
Copia autem frumenti tantò magis aucta
semper est, & cumulata, quantò plura ille
largiebatur. Commiseratio autem eius seu
misericordia planè diuina fuit, Aiunt in a-
rea quondam ipsius, duodenos esse fu-
res frumentarios captos, qui culeos suos
frumento implebant, pondere verò adeo
pressos vti neque leuare, nec auferre sac-
cos potuerint. Quibus ipse pro pœna irro-
ganda, & verberibus infligendis potius ad
tollenda onera succurrit, vltroque singulis
suas sarcinas suis manibus leuatas in hu-
meros imposuit, præcepitque vt id nulli
prorsus enunciarent. Initiatur ergo sacer-
dotio in sancta Dei Ecclesia. Deinde sedata
persecutione ad pontificatus thronum est
euectus, multaque digna admiratione fa-
cta eius extant. Nam & serpentem ditione
illam peruastantem exegit, & Tritonis flu-
minis, quod traiecturus erat, inundatione
repressit, nec antea cursum tenere suum
poterat, quam vir sanctus rediisset, domú-
que reuertisset. Misso enim seruo suo flu-
uium, qui missi fuerant attigerunt, cum
aquæ consuetum cursum tenuêre. Reliquo
vitæ

vitæ spacio sancte religioseque transacto, martyrum monumentis intentus, annum agens plus minus centesimun ad cœlum euolauit.

SS. X. MARTYRES. A. C. 726.

Propter sacram Christi imaginem interfecti.

HI sancti viri interfecti Leone Isaurico, illa immanissima fera imperante, claruêre. Leo quippe auersatus sacras iconas, flammis vrendas dabat, quarum causa B. Germanus P. C. multis afflictus est malis, quod impium & sacrilegum tyrannum reprehensum iret, qui IESV Christi Domini & seruatoris nostri imaginem in porta ęrea collocatam, omniq; veneratione cultam conatus est deiicere. Scalæ parantur, tigna prælonga imponuntur, iconomachi ascendunt, rem agrediuntur. Tum verò generosi isti heroes vnam ex scalis arreptam ad se trahunt, satellitemq; qui imaginem detracturus erat interficiunt, ipsumque sacrilegum Imperatorem diris & execrationibus deuouent. Imperator vbi rem cognouit; ira inflammatus, multos quidem alios gladio

gladio sustulit: Hos autem nouenos martyras virgis cęsos in carceré coniecit, præcepitq; quotidiè singulos quingentis mactari plagis. Ita sancti menses octo afflicti patientiam exercuerunt. Tandem cũ defectos cerneret, candentibus subulis inusta* fronte securi omnes in leporario vna cũ Maria patricia percussos in mare spargi iussit.

* Vide notas.

ANNOTATIONES.

LEo Isauricus Iconomachus & Theomachus, iuratissimus inquam hostis Dei & sacrarum imaginum, in sanguinem Catholicum grassatus vehementer afflixit Ecclesiam, vel potius affiictione illustrauit, reuiruescit enim vulnere virtus, Patriarcham Germanum exturbauit, Iconas deiecit, cultores pios omnibus suppliciorum exemplis excruciauit. Cum vero sacrosanctam Christi speciem supra aheneam palatij portam publicè expositam conaretur detrahere, en quid viri fæminæque tentarint contra, ex D. Damasceno accipe.

Ac primum (ô ingentem Christe patientiam tuam) aduersus tuam imaginem audacissima illa fera grassatur, eamq; quæ supra portam fixa erat, ac vulgo area dicebatur, Theandricam tuam formam deiici ac oblitterari iubet. cum autem ad hoc facinus perpetrandum missus satelles, imposita iam scala, conscenderet, diuino zelo incensæ mulieres, præclarissimum ac generosissimum virtutis specimen edentes, arreptã manibus scalam in terram deiiciunt, vnaq; eum, qui hoc facinus aggrediebatur præcipitem agunt: qui hãc præstiti ad hoc ministerij mercedem tulit, vt vita orbare-

baretur. Sancta autem illæ mulieres ob Christum cuius Zelo flagrabant, opportunè abiecto & contemto pudore, cursu effuso in Ecclesiam feruntur atque impium Patriarcham, qui tunc illic erat, illum inquam, & Christi verbis stat, desolationis abominationem in loco sancto stantem lapidibus incessunt, mercenarium non pastorem, Ecclesiasticarum denique sanctionum proditorem appellantes. Ille autem metu simul & pudore correptus, confestim ad Imperatorē confugit, eiq; quod factum fuerat, narrat, atque ad mulierum cædem eum extimulat. Mox igitur gladio necantur, ac pro pietatis præmio mortem ferunt. Hæc Damascen⁹ & plura.

De decem verò his nostris quasi impulsoribus mulierum postea habita quæstione interfectis, ita Menologium. *Natalis BB. X. Martyrum, qui propter sanctam Saluatoris nostri Iesu Christi imaginem in area porta constitutam martyrium passi sunt. Quorum nomina sunt hæc: Iulianus, Marcianus, Ioannes, Iacobus, Alexius, Demetrius, Photius, Petrus, Leontius, & Maria patricia. Omnes hi sub Leone Imperatore impio, pro defensione sanctarum imaginum multas ærumnas perpessi, & variis tormentis superatis, postremo gladiis percussi martyrio coronati sunt.* Quod ad finem scribitur, frontes sanctorum fuisse notis inustas, hoc Theophilus quoque Imperator secutus, versus hosce à se compositos S. Theophanis & aliorum frontibus inscripsit.

Πάντων παθόντων προσρέχειν ὡς εἰς τὴν πόλιν
Ὅπου παναγνοι τοῦ θεοῦ λόγου πόδες
Ἔστησαν, εἰς σύστασιν τῆς οἰκουμένης,
Ὤφθησαν ἔνθοι τῷ σεβασμίῳ τόπῳ,
Σκύμνη πονηρᾶ δεισιδαίμονος πλάνης,

Ἐκεῖσε

Ἐκεῖσε πολλὰ λοιπὸν ἐξ ἀπιστίας
Πράξαντες αἰσχρὰ δεινὰ δυσσεβοφρόνως,
Ἐκεῖθεν ἠλάθησαν, ὡς ἀποσάται,
Πρὸς τὴν πόλιν δὲ τῶν κρατῶν πεφευγότες.
Ὅθεν γραφέντες ὡς κακοῦργοι, τὴν θέαν,
Κατακρίνονται κἀξ διώκονται πάλιν.

Cunctis ad Vrbem accurrere affectantibus.
Castissimos in qua Dei Verbum pedes
Fixit, generi salutem Vt humano daret,
Apparuére, & isti Venerando in loco
Superstitiosi erroris Vasa pessimæ
Et inde multa postquam perfidi Deo.
Facinora patrauissent turpia impiè,
Vt desertores Vertere iussi sunt solum.
Fugaq; in Vrbem hanc delati, imperij caput,
Non destitere ab impia Vecordia.
Compuncti igitur, facinorosi Velut, notis
Ex Vrbe damnati pelluntur hac quoque.

Hos postea Theodora vxor Theophili, mortuo marito legens ingemuit, quam Patriarcha Methodius & ipse inscriptus, & literatus est solatus. Cedrenum adi in Theophilo & Theodora. Zonaram, Glycam, Manassem, qui & notarum faciunt mentionem, & quæ Theophanes cum Theodoro fratre ad eundem sepulchro (vt Ignatius postea) inclusum scripserit, narrant.

Quod ad imaginem Saluatoris attinet in ærea porta collocatam, disce ex Cedreno illam esse in palatij porta ærea sitam, quæ dormienti olim Mauritio Imperatori velut reo adducto, & mox à Phoca occidendo, per somnium & vaticinium obiecta est, de qua Cedrenus in Mauritio.

HISTO.

HISTORIA

DE IMAGINE CHRISTI DOMINI IESV SERVATORIS NOSTRI NVLLA MANV FACTA.

11. Aug.

TIberio (qui Mauritium præceſſit) imperante, ingens planeq; inſolens miraculum accidit. Matrona quædam cui Mariæ nomen fuit è ſenatorio ordine, patricia ſtirpe nata, religioſa admodũ, orbata viro, in grauem & mortiferum inciderat morbum, cui nulla ope humanâ ſuccurri poterat. Commendanti ſuam ſalutem Domino noſtro Ieſu Chriſto, res bona in mentem venit. Presbyteros ſacroſanctæ illius à Domino ſine manus operâ factæ imaginis cuſtodes, per certos homines accerſit. præſentibus ſupplex aduoluta, obſecro, inquit, Domini mei; quandoquidem ob culparum mearum noxas à Deo graui periculoſóque morbo caſtigor, cupio infælix ego & indigna per veſtras preces, ſanctam Domini effigiem ad dies quadraginta in viliſſimas ædes meas transferri, forte per illam à Domino miſericordiam impetrabo. Sacerdotes animaduerſâ cognitâque illius

illius pietate & religione, ſacram Domini imaginem attulerunt. recluſâ ergo hierothecâ, mulier venerata imaginem & exoſculata, accepit telam bombicinam eiusdē cum ſacra effigie magnitudinis, illamque imagini Domini impoſuit.

Deinde imaginem Domini (ita tectam) mundiſſimo ſcriniolo incluſam cuſtodiuit, firmataque per eam, in ſacrario ſuo collocauit, & luminibus magnificè illuſtratam dies totos quadraginta aſſiduè coluit. Die iam quadrageſimo elapſo, fœminæ cruciatus redière grauiſſimi, adeoque intolerandi, vti ne de lectulo quidē ſe leuare poſſet, vocatæ ergo ex ancillis alteri, quam caſtiorem nouerat, vade, inquit, adfer ſacræ imaginis arculam, vt adorata illâ, aliquod inde dolorum meorum leuamen recipiam ;quæ ingreſſa ſacellum, vidit prodigium formidabile, & inexpectatū. Flamma ad aſſerendam ſacroſanctæ imaginis fidem, ex hierotheca illa ad laquearia vſque erupit, aramq; totam complexa, ad pauimentum vſq; deſcendit, nec labem interim vllam altari intulit. Attonita puella concidit, alteraque curriculo dominæ rem denunciat, quæ territa de lectulo deſcendit, & totis connixa viribus, ad ædiculam adrepſit, conſpectaq; flam-

flamma, exclamauit, Kyrie eleiſon. Moxque accerſiuit ſacerdotes, quos magna hominum comitatâ copia, qui omnes viſo inuſitato miraculo perculſi ſunt. Flamma autem aſcendente ac deſcendente, non ſecus ac velo innauigio à tempeſtate vehementer iactato, omnes ad multas horas Kyrie eleiſon ingeminarunt. Fuſis autem precibus flamma euanuit, apertaq; capſulâ ſanctam Domini effigiem ſine manu expreſſam illæſam intactamque reperere. Quin & telam illam ſericam, à patricia impoſitã alteri imagini tollentes, eadẽ prorſus, ac gemina illi archetypę (O ſtupendum miraculum) Domini forma ſine vllius ope inſignitam inuenerunt. Laudatoque, ſuper hoc beneficio, numine, exoſculantes imaginem fæminæ laboranti impoſuerunt, ſubitoq; ſibi penitus reſtituta ſurrexit, Deoque debitas laudes cum toto ſacerdotum & populi cœtu perſoluit.

Poſt annos aliquot cum veneranda illa matrona ſibi vltimum inſtare diem præſentiret, cum vas eſſet electionis, ſacram hanc effigiem in cœnobio Melitinenſi S. Aſſumptionis reponi curauit, quam Melitinenſis ordo, cum ſacer (Archiepiſcopi Domitiani, qui fuit patruelis Mauritii Im-

peratoris) tum ciuilis, principesq; ciuitatis, velut ab Apostolorum alumnâ exceperunt. Quod cum patricia resciisset, imaginem Archiepiscopo commisit causamque, cur eam in Melitenem reportari curarit, exposuit.

Operæ quoque precium duxi & aliud miraculum compendio narrare, Incursione à Persis, Heraclio imperante, facta, sacræ virgines ne captiuæ abriperentur, formidantes Constantinopolim properarũt, quibus vt claro genere natis, cœnobium Sergius Patriarcha assignauit, qui dum de sacra illa & diuina icone audisset, ab inuitis etiam illis eam abstulit. Sed cum aliis atq; aliis ærumnis conflictaretur, Imperatorum indignationem incurrisset, Ecclesia varie perturbaretur, cœpit dubitare quænam horum malorum esset causa, videtque concubiâ nocte, virum quendam tremendum stantem, sesequе appellitantem. Redde quamprimum quæ præter ius fasque cœnobio virginum abstulisti: vocatisque domesticis scisciatur ab his: Ecquæ sunt hæ vexationes, quarum causa hæc perpetior. Etenim vidi formidabilem quendam virum stantem, qui ad me redde, inquit, actutum, quod è monasterio contra ius fas abstulisti. Et Sergius, quidnam, cui eripuerim

rim prorsus ignoro: Et domestici: Domine, inquiunt, nihil huiusmodi factum existimes, neminem enim vnquam vlla iniuria affecisti, sed & vexationes istas, & nugamenta cogitationum, dæmonum ludibria, & fraudes iudica, Dein nocte insequente rursum vir ille tremendus apparuit, & seuerè illum allocutus. Restitue, inquit, è vestigio, quod abstuliſti ex Assumptæ virginis cœnobio, an ignoras illas peregrinas esse, & omni ope destitutas, vt quæ huc ad peregrinum solum fugere sint coactæ. Experrectus Patriarcha illum suum à cubiculis interrogat, Frater, inquit, quando effigiem Domini à virginibus abstuliſti, quo animo id tulerunt? ægerrimò, inquit, Domine, & si potuissent, vlturæ fuerant hanc iniuriam. Tum demum intellexit Patriarcha causam malorum suorum, damnatoque facto suo, quamprimum referri imaginem Domini cum ingenti honore in sacrarum virginum domicilium iussit: id quod vndetrigesimo Nouembris factum est. Statimque Patriarchæ res ad quietum redîre statum, omnesq; ærumnæ & vexationes sublatæ. Incolæ autem monasterii de receptâ Domini imagine immortali, sibi etiam atque etiam plurimumque gratulati sunt.

ANNOTATIONES.

MIrabere forsan lector, quî miraculum hoc de sacrosancta Christi effigie nullo pictoris aut fictoris penicillo, cælóue efformata, Tiberio, qui Mauritium præcessit, imperante, potuerit accidere, cum ea tempestate ex omnium historicorum auctoritate & fide adhuc Edessę fuerit custodita, & à Romano Lacapeno circa annu Christi CMXLIIII. tandem Constantinopolim translata, anniqueinter Tiberij & Romani Lacapeni imperiũ CCCLVIII. interceſſerint. Aduerte bone Lector nec pronancia, dum discas Imagines Christi ἀχειροποίητους tres fuisse constat: * vnã Berenicæ seu Veronicę à Christo datam, cum ad crucem cum cruce proficiscereture, quam hodie Romæ adseruari scribunt: alterã linteis Christi sepulchralibus impressam, quam Taurinensis Ecclesia seruatam religiosissimè colit: tertiam cum Epistolâ ad Abagarum missam, Edessæ multis sæculis cultam, & à Lacapeno Constantinopolim transportatam. Hanc tertiam ergo fuisse non crediderim, * de qua hic sermo, nec certo affirmarim vtra ex duabus prioribus fuerit, an alia potius antigrapha, non autographa & archetypa Christi, cum legamus lintea alia archetypis seu prototypis instrata nouo miraculo eandem Christi formam induisse Hoc exSimocatta, Theophane, Cedreno, & alijs certum est; Mauritio & post Heraclio, qui Phocam interfecit, regnante, effigiem aliquam Christi talem sine pictoris aut hominis arte factam Constantinopoli fuisse, cum & ipse * Heraclius eiuscemodi iconem secum ex Africa scribatur Constãtinopolim attulisse, & postea in Persidem contra Cosdroem profectus secũ detulisse;

* *Quamq; alij plures memorẽt;*

* *Nec tamẽ ausim negare, cũ explorati nihil habeam.*

* *Et ante Heraclĩũ Philippicꝰ in acie cir-*

detulisse; audi historicos editos, ineditos. Theophanes in Heraclio: Λαβὼν δὲ ὁ βασιλεὺς ἐν χερσὶ τὴν θεανδρικὴν μορφὴν, ἣν χεῖρες οὐκ ἔγραψαν, ἀλλ' οἷον ἐν εἰκόνι, ὁ πάντα μορφῶν καὶ διαπλάττων λόγος, ἄνευ γραφῆς μόρφωσιν, ὡς ἄνευ σπορᾶς κύησιν ἤνεγκεν. καὶ τοῦτο πεποιθὼς τῷ θεογράφῳ τύπῳ, ἀπήρξατο τῶν ἀγώνων, πιστὰ δοὺς τῷ λαῷ, ὡς σὺν αὐτοῖς μέχρι θανάτου ἀγωνήσηται, καὶ ὡς τέκνοις οἰκείοις τούτοις συναρμώσηται. Quæ sic intelligas: *Accepta Imperator in manus effigie, quæ Christum Deum & hominem referebat,* (ita verto θεανδρικὴν) *nullis efficta manibus, sed quam illud, quod omnia format & effingit Verbum, velut in imagine sine picturâ figuram, tanquam sine satu & semine partum edidit, fretus* (Heraclius) *hac diuinitus effigiatâ formâ certamen aggressus, fidem militibus populoq; suam astrinxit, se viuum mortuumq; cũ illis, veluti suis germanisq; liberis deuinctum, in bello & acie perseueraturum.* Vides quam Heraclius habuerit imaginem ex Theophane nondum edito? Vin & Anastasij interpretationem syllabatim expressam ineditamque audire, vt fides etiam mea constet? *Accipiens vero* (inquit Anastasius) *Imperator in manibus Dei virilem,* (ita vertit θεανδρικὴν) *figuram, quam manus non depinxerunt, sed in icona verbum, quod omnia format ac componit, siue pictura formam, velut sine semine partum eduxit. & in hac fisus, à Deo depictâ figurâ cœpit agones, iuramenta dans populo, quod cum ipsis vsque ad mortem foret certaturus, & eis tanquam filijs proprijs adhæsurus.* Cedrenus narrat ab Heraclio eandẽ quoq; ex Africa contra Phocam cũ classe deportatã, cum dicit:

cumtulit, Simocatta Theophanes &c.

τούτῳ.

Ὁδὲ Ἡράκλειος πλοῖα πολλὰ ἐξ Ἀφρικῆς ἐξοπλίσας, καὶ στρατὸν κατὰ Κωνσταντινούπολιν κατέλαβεν, ἐπιφερόμενος καὶ τὴν ἀχειροποίητον εἰκόνα τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. *Interim Heraclius cum magna & armata classe Constãtinopolim appellit, secum ferens etiam seruatoris nostri imaginem nullo manus ministerio factam.* Theophanes ex Pisside τῆς θεομήτορος & iconem ait fuisse: vtriusque reor secum detulit. De expeditione Persica idem cũ Theophane scribit Cedrenus ab Heraclio Christi imaginem manu gestatam, &c. Sed his omnibus antiquior Simocatta apertè docet fuisse tũ Mauritii æuo effigiem Christi ἀχειροποίητον Constantinopoli, vel potius in Romanorum Castris, quibus Philippicus Mauritij Sororius præfuit, illamque ipsam ab Heraclio Heraclij filio Imperãtore Constantinopolim cum classe deportatam. Pater enim Heraclij, Heraclius cum Philippico fuit in castris, & ab eo præfecturam accepit, vnaque haud dubiè imaginem, quam à Philippico Constantinopoli in castra delatam reor, vti & eius exemplo Heraclius postea fecit, sed audiamus Simocattam ex Pontani nostri interpretatione. *Vbi hostes appropinquare pluuerea nubes indicio fuit, Philippicus Dei hominisq; Iesu Christi effigiem circumfert. Iam olim fama emanauit, & vsq; hodie durat, eam effigiem nõ texentis manu comparatam, aut pictoris arte coloribusq; variatam, sed diuinitus efformatam esse. Quocirca etiam apud Romanos vt ἀχειροποίητος, id est, non hominis manu confecta celebratur, & sacris diuinisq; honoribus colitur. Habent enim archetypum Romani & vt sacrosanctum quid venerantur. Hanc effigiem sacra veste (velo nempe) nudatã gestans*

lib. 2. c. 3.

gestans exercitum obibat, indeq; audendi generosam & inexpugnabilem militibus alacritatem injiciebat. Et mox infra narrat, cui sub pugnæ tempus interim seruandam crediderit. *Porro dux illam Domini imaginem Mardes ad Simeonem Amidæ antistitem, fortè per id tempus in eo castello commorantem mittit.*

Eandem postea imaginem Priscus qui Philippico successit ad componendam exercitus seditionē adhibuit, ac tandem ab Heraclio contra Phocam profecto est Constantinopolim relata. Hic tamen aduertendum, hanc de qua hic agimus, non videri fuisse primigeniam ἀρχέτυπον, sed ab archetypo miraculo aliquo expressam, cum Simocatta affirmet Romæ archetypon seruatum, quæ fuit effigies Berenices seu Veronicæ, non illa Abagari Edessena, quamquam & illa vltimis temporibus sit Romam perlata. Sed cum alij aliud affirment, ego, vt dixi, nihil decerno.

Constat ergo fuisse Constantinopoli Christi imaginem sine artificio humano factam ante Romani Lacapeni imperium.

Illud quoque non prætermittendum, quod in hac Mariæ Patriciæ historiâ tangitur, velum æquè longum latumque archetypo instratum, eandem induisse diuinitus formam. Nam prorsus geminū huic legitur factum in vita S. Pauli in Latro anachoretæ, ad quem Constantinus, qui cum Romano imperauit, Photium quendam patricium (non illum pseudopatriarcham dudum mortuum) cum literis misit. A quo Paulus viciſſim datis ad Imperatorem literis petiuit, vt Christi imagini non manufactæ linum eiusdem magnitudinis applicaret, & ad se mitteret. Factum quod postulabat, missumque velum ex animi sententia, quod cum ex- A. 944.

pandisset, Christi effigiem ad amussim expressam, & figuram figuræ exactissimè respondentem vidit: quod tamen aliorum oculos idem inspectantes fugit. Consule Baronium Annali x. anno 944.

Qui plura de Christi sudario, multipliciq; sindone Dei nutu formâ Christi corporis signatâ desiderat, inspiciat stigmata Christi apud Alphonsum Palæotum Archiepis. Bononiensem Danielis Mallonij commentarijs illustrata c. 1. 2. 3. & passim alijs.

28. Augu.

S. MOSES AETHIOPS.

BEatus hic Moses natione Aethiops toto corpore probè ater, cuidam ciui seruitutem seruiebat, quem herus propter improbitatem & latrocinia domo eiecit. Hic pastori cuidam, à quo in re quapiam impeditus fuerat, ob facti memoriam infestus erat, consiliumque eius occidendi cœperat. quem cum trans Nilum esse exploraſſet, quamuis inundante Nilo, gladio tamen dentibus mordicus prenso, vestibusque capiti impositis, tranauit. quod vbi opilio sensit, illico profugit. Moses arietes quatuor præstantes mactauit, catenaque nexos secum remulco per Nilum remeando traxit, carnesque absumsit, & vellera cũ vino permutauit, atque ad collegas suos est reuersus. Quæ eo finè recensui, vt ostende-

rem

rem ſpem ſalutis nulli pœnitenti eſſe præcluſam. Hic ſero tandem, caſu quodam, in quem inciderat, impulſus dolore ſcelerum tactus cœnobium petiit. ſociosque latrociniorum ſecum ad idem vitę inſtitutū pertraxit.

Hunc ſeſſitantem quondam in cellula ſua, latrunculi, qui eum Moſem ignorabāt, inuaſerunt quos ille B. funibus reuinctos, veluti palearum ſaccum, humeris impoſitos in templum ad conuentum attulit patrum, &, quoniam, inquit, mihi fas non eſt quemquam iniuriâ lædere, quid de his decernitis, qui me oppreſſum venerunt? Hic cum latrones eum Moſem famigeratum & indomitum illum principem latrocinantium intellexiſſent, & ipſi ſua ſcelera per exomologeſin deteſtati, relictis humanis rebus laudatiſſimi cœnobitæ ſunt facti. Moſes ergo vita ad Dei nutum inſtituta, dęmoneq; intemperantiæ deuicto, cum annum ageret quintum & ſeptuageſimum, ſacris quoq; ſacerdotij myſterijs initiatus, ſeptuaginta relictis diſcipulis deceſſit.

ANNOTATIONES.

HVius acta Sozomenus narrat lib. 6. c. 29. Alterius poſtea Moyſis idem Sozomenus lib. 6. c. 38. me-

38. meminit, quem Saracenorum ait factum Episcopum, qui multos ad Christum à Saracenis traduxit. Sed hic non ad hunc locum. Alter ille prior Aethiops hic laudatur, quem Nicephorus lib. 11. c. 36. & auctor in Vitis Patrum celebrant. Menologium eodem die cum Fastis Romanis hunc coli in Christiano orbe docet. Palladius geminos quoque prædicat Moyses, Libycum alterum, c.88. & hunc olim latrocinia exercentem c. 22. qui & Abbas & presbyter fuit. Latrones porro præter illum qui Christo ad dextram pependit non paucos veniſſe ad ſummam vitæ ſanctimoniam acta patrum in Mutio & Paſnutio, Dauide latronum principe & Cyriaco oſtendunt. In Actis S. Ioannis Euangeliſtæ leges iuuenem Epiſcopo commiſſum in latronem euaſiſſe, & à S. Ioanne reuocatū: Apud Clymacum gradu 4. pœnitens latro miris modis commendatur. Lege & Io. Moſchum c.143. 165. 166 Menæa celebrant ſeptem latrones Martyres 29. Aprilis: Et Cæſarius lib. 7. c. 59. alium S. Franciſcus tres ad pœnitentiam adduxit. Mitto qui in ſpeculo exempl. diſt. 7. c. 23. narrantur.

DE ZONA SANCTISSIMÆ DEI MATRIS.

ARcadius Theodoſij Magni filius venerandam ſanctiſſimæ Dei matris Zonā Hieroſolymis, quæ ad eum vſque diem ibi cum precioſa veſte à fœmina quadam virgine ſeruata erat, Conſtantinopolim delatam in ſplendido ſcrinio, quod ſanctam appella-

pellauit arculam repoſuit. Annis dein denis ſupra quadringentos elapſis, Leo Imperator ſanctam hanc hierothecã propter coniugem ſuam Zoen, quæ diuinitus didicerat futurum, vt ſi ſacra Zona ſibi applicaretur, ſanitatem recuperaret, ab impuro dæmone vehementer agitatam aperũit. Repertum ergo ſacrum cingulum, perinde ac ſi modò confectum eſſet, adeo radiabat, ſignatum aurea bulla, adiuncto codicillo, qui ſingulatim annum, indictionem & diem exprimebat, quo ſanctum hoc cingulum Conſtantinopolim eſſet deportatũ, manibuſque ipſius Imperatoris in Lipſanotheca obſignatum, quod Leo Imperator exoſculatus, per Patriarchæ tum præſidentis manus ſuper imperatricem extendit, ſanitatemque reſtituit. Omnes ergo Chriſto ſalutis auctori gloriam gratulati, immaculatæ eius matri debitas gratiarum laudes cecinêre, Zonamque in eandem, in qua prius ſeruabatur, arculam repoſuere.

ANNOTATIONES.

NIcephorus lib. 14. c. 23. de hac Zona in hæc verba ſcribit: *Poſtea Iudæorum Synagoga in chalcopratijs ſeu fabrorum foro, in templi formam redacta pulchritudine ſimul & amplitudine exornata, inſignem*

insignem Dei genitrici ædem sacram construxit, & minoribus alijs adiectis ædificijs, venerandam & sacram Dei matris in ipso sanctioris mensæ tumulo Zonam reposuit, & ex eo tempore Dei genitricis ædes sacri tumuli nomen est consecuta. Hæc Nicephorus. Ante vero Nicephorum scripsit Euthymius Monachus encomium eiusdem Zonæ Virginis, in quo præter alia hæc tradit. *Hodie proponatur, honoretur & adoretur Zona, quæ diuina virtute cœlos superat, & resplendet plusquam radij solares, manetq; integra & intacta plurimorum annorum curriculis nengentorum inquam & amplius.* Et infra: *Nam vt scriptum inuenimus in admiranda & semper splendente arca, in qua est preciosa hæc Zona recondita, à tempore Arcadij in fide rectè sentiens, quique fuit filius & magni illius & virtutibus illustris Theodosij, hîc fuit reposita, tricesimo primo vltimi huius mensis, saluaq;, illæsa, & impolluta, vt videtis permansit vsque in hodiernum diem, nullo modo fædata, aut offuscata, aut eius colore vllo modo mutato: sed resplendens supra niuem, &c.* Hodie quoque S. Germani Patriarchæ Const. panegyris de eadem Zona apud Surium 31. Aug. legitur. Et verò S. M. Otho Cardinalis Trukſeſſius, Pontifex Augustanus, Academię Dilinganæ conditor, hierothecam nobilé Græcis literis inscriptam, Roma Augustam detulit, & in æde summa Virginis collocauit, in qua præter aliorum sanctorum pignora, ipse legi de hac Zona partem custodiri: ἐκ τῆς ζώνης τῆς θεοτόκου, sicut & ἐκ τῶν τιμίων σπαργάνων ex sacris fascijs Christi. Etenim & Germani & Euthymij encomia fascias & Zonam simul laudant. Præter illam tamen & aliam partem multo maiorem in eod templo sum veneratus.

CHRI-

CHRISTI IVDICANTIS IMAGO.

Theodoræ Augustæ, & Theophilo filio imperantibus.

Bogoris Bulgarũ Rex, aspectu imaginis vltimum Christi iudicium referentis, idola eierat, & intempesta nocte sacro fonte tingitur,

REfert Ioannes Curopalata Scilizza, Ioanne Baptista Gabio interprete, nam Græcum ego codicem desideraui; regem Bulgarum Bogorem postea Michaelem dictum, ex contemplatione adumbrati penicillo extremi iudicij ita fuisse motum, vt, cum diu ante de Christiana religione deliberasset, summa nocte sacris Christianis initiari voluerit. Verba Curopolatæ ex translatione Gabij hæc sunt.

Bogoris autẽ Bulgarum princeps, quum audisset mulierem cum tenero adhuc puero Romanis imperare, audacia elatus nuncios ad Reginã misit, per quos minabatur se fœdera soluturum, & Romanorum fines inuasurum. at Regina nihil humile, neque effœminatum cogitans, & me, inquit, inuenies paratam ad resistendum in acie, Deiq; nutu superiorem; si autem quod absit, victor ipse fueris, hoc quoque pacto mea erit victo-

victoria; viceris enim non virum, sed mulierem: quibus verbis confusus, & deterritus quieuit, & pristina fœdera renouauit, miserunt interim vltrò, citroque legatos, & Regina, & Princeps. Regina legatos accepit à quodam Theodoro, Cuphara cognomento, viro idoneo, & administrãdæ Reipubl. vtili, qui tunc in Bulgaria captiuus detinebatur. Princeps verò à sua sorore, quæ in quadam excursione capta, in regiâ commorabatur; hæc enim iam pridem captiua adducta, & Christianorum religione initiata, literasque edocta, quo tempore captiua erat, ac nuper liberata, non desistebat fratri Christianorum mysteria commendare, & in eius cor fidei semina iniicere; qui tamen antè à Cuphara diuina mysteria fuerat edoctus: facta autem permutatione, & reddita muliere fratri, restituto item Reginæ Cuphara, quamuis antè princeps instructus esset, & diuinis imbutus mysteriis, adhuc tamen retinebat infidelitatem proprio cultui addictus; verùm quum ingens fames Bulgarorum regionem occupasset, omnique destituerentur auxilio; Princeps ipse Christianorum Deum, vt sibi opem ferret, inuocauit, idemque facere omnem sibi subiectam nationẽ iussit, impetra-

petratoque remedio, & fame liberati, adveram religionem se conferunt : & Princeps noua lauacri regeneratione donatur, de nomine Imperatoris Romanorum Michael appellatus, ab Episcopo, qui ad eum missus fuerat, eique diuinum lauacrum impertitus est. Aliud quoq; accidit, q̃ Principem ipsum in verę fidei cultu magis confirmauit. Insatiabiliter iste venationi deditus erat, qua oblectare sese studebat, non modo quum se venatum conferret, sed etiam quum otiosus esset domi; idque per animalium pictas figuras. Constructâ nouâ domo, Methodium quemdam monachũ, arte pictorem, iussit domum illam picturis exornare, verùm quasi diuinâ quadam prouidentiâ ductus, non præscripsit definitè, quænam & qualia pingeret animalia: verum quęcunque ipse vellet, iussit depingere; terribilia tamen esse, quæ pingerentur, vt spectantibus terrorem, & metum incuterent; ille autem nihil terribilius noscens secundo Christi aduentu, hunc ibi descripsit. quumq; iam finita illa esset pictura; conspicatus Princeps ex altera parte iustorum cœtum coronari, ex altera vero impios puniri, & à pictore percepta picturæ mente, statim propriam eiurat religionem.

nem. Imbutusque, vt diximus, à sancto Episcopo diuinis mysterijs, intempesta nocte sacrum percipit baptisma. Quum autem cognouissent nationis præfecti, & cõmunem mutatum religionis cultum, in Principem conspirant, eumque de Imperio deijcere studebant, quos ille parua, quã secum habebat manu, fudit, fugauitque, præeunte crucis signo, & inopinata re perculsos Christianos effecit.

ANNOTATIONES.

NIhil est, quod dubites de incusso terrore principi, ex aspectu Christi pro iudicio sedentis, quamuis in imagine tantum depicti. S. Paulus, vt est in actis Apostolorum, cum apud Felicem hominem Romanum, & legis diuinę & Christianę prorsus ignarum, homo vinctus inquam, apud liberũ & præsidem gentis, de extremo iudicio verba faceret, ita terruit Oratione Felicẽ, vt totis artubus cõtremiscere Fuêre etiã, vt narrat septimo gradu Climacus, qui cibi, potionis, suorum ipsi penitus obliti ex cogitatione duntaxat mortis & iudicij stupescerent, concciderent, & exanimati domum reportarentur. Ex nostris annalibus Occidentis Indiæ de Christi à cruce pendentis imagine huic affine factum depromam, quando in Peruana ditione, obtutu sacræ imaginis, magnus hominum numerus vna cum principe exanimatus concidit, nec nisi post rres horas animam ac mentem recepit, princepsque cum filio, sacro mox fonte lustratus est. Sed iuuabit ipsa Antonij Valthrini auctoris

verba

verba ad fidem faciendam recitare. *Multi*, inquit, *etiam in suas regiones nostros inuitant, omniaque necessaria summa cum amoris significatione deferunt: quorum aliqui miraculo ad Christiana sacra capessenda sunt impulsi. Quo in genere res accidit literis dignissima. Cuzchum ciuitatis quondam Ingarum fuit, quæ nunc Hispanorum imperio subiecta est, in qua etiam vrbe Societatis est collegium; ab ea procul quindecim dierum itinere prouincia quædam visitur amplissima, armis diuitijsq; præpotens, cuius amplitudo Leucas dicitur colligere quingentas. Ad hanc prouinciam cum quidam Christiani fugerent, vnus ex ijs inter sarcinulas Crucifixi imaginem fortè conecit: qui cum postea ad illius prouinciæ Metropolim peruenisset, multisq; admirabundi quærerent curiosius quid illud esset, respondit illum esse Christianorum Deum. Quæ res hominum sermonibus celebrata ad principis aures peruenit; is eadem videndi cupiditate inauctus, in aream palatij cum trecentis circiter viris processit hominemq; sibi cum imagine sisti iussit, quam cum in manus sumsisset, diligenter contemplatus. Hiccine inquit, Deus est Christianorũ? Ille ipse, Indus inquit. Tum princeps ain' tu? hiccine Deus est, quo adiutore Christiani Ingas, totumque regnum Peruanum subegerunt? Cum indus affirmaret: At hic, princeps, homo est, ait, omnibus cruciatibus necatus; simul ad imaginem expuens, homini reddidit. Mirum dictu statim vt Indus in manũ accepit imaginem, caput illa caput quod in dextram partem inclinatum habebat, ad sinistram conuertere & oculos in principem, cæterosq; qui aderant, defigere; qui omnes continuo, præter eum, qui Crucifixi tenebat imaginem, conciderũt, octres horas sine sensu & spiritu mortuis similes jacuerunt. Quos cum populus mortuos existimaret, in-*

gens tota vrbe luctus excitatus est; Interea Princeps ac deinceps cæteri, ad se rediens, surgensq; exclamauit. Verè magnus est Christianorum Deus, reliquisq; omnibus stupore quodam defixis, pœna capitis proposita, edixit, ne quis in posterũ Christianorum Deum blasphemaret: atq; extructo, exornatoque iuxta palatium Sacello, ibi crucifixi imaginem collocari, atq; ab omnibus adorari iussit. Postea cœpit Princeps quærere subtilius de transfugis, quis esset Christianorum Deus, quæue eius colendi ratio; cum illi rudes se & ignaros faterentur; esse autem Cuzchi Patres quosdam (nostros videlicet intelligebant) qui mira de hoc Deo loquerentur, Indosq; cum omni humanitate erudirent, princeps eos adire constituit, consilioq; habito cum suis, vir se cum filiolo vnico sexenni cõmisit, sex tantum è dynastis, atq; duobus ex transfugis comitantibus, cultu etiã corporis, vestibusq; mutatis ne posset agnosci, Itaq; cum Cuzchum peruenisset, vsus internuncio Hispano quodam nobili, alterius è transfugis affine, P. Rectorem conuenit, eiq; se, suique aduentus causam arcano aperuit, rogatq; vt aliquos mittat, qui suos populos Christiana religione, præceptisq;, informent. P. Rector gratissimum sibi nunciũ illum ostẽdit, paratumq; se, suosque ad illi obsequendum: Verum sine superioris potestate ab eo loco commoueri non licere, neque ab superiore, qui passuum millibus quadringentis abesset, ante duos menses responsum haberi posse. Princeps veritus ne nisi ad conductam diem reuertisset, ante aliquid à suis domi turbaretur, constituit proficisci; relictoq; filio suæ fidei obside, vt Christiana religione institueretur, baptizaretur q; proficiscitur. Post duos mẽses adest iterũ bonus vtiq; princeps, inuenit q; responsum à superiore datũ, ingressum ad eos modo non patere, in posterum tamẽ deliberaturos quomodo

mùdo eis consulatur. Conturbauit non nihil hoc responsum Principis animum, atq; tum agritudine, tum stineris labore, homo præsertim ætatē iam affecta, in morbum incidit, mortiq; proximus postulauit, vt baptizaretur, filioq; cum suis domum remisso ipse, iam baptizatus, magna cum pietatis significatione spiritum Deo reddidit.

Concludam VIRIDARIVM cupresso & epicedio, quod in vltima mundi vota & fata panxi.

CRISIS.

Siue

VLTIMVM TRIBVNAL.

I.

ADeste mundi præsides,
Mitræq; purpuræq;;
Adeste sceptra, fasciæ,
Et fascium secures;
Adeste viui, mortui
Olimq; nascituri;
Carmen fero plorabile:
Audite fata mundi.

II.

Singultiente spiritu,
Hiulca trudo verba;

Protusa mox resorbeo,
Reciprocante lingua;
Ruunt per ora flumina
Æstusq; lachrymarum.
Procul procul deliria
Mundi, procul cachinni.

III.

Quocunq; verto lumina,
Squalore cuncta marcent:
Extincta lugent sidera,
Et siderum choragi.
A sole sol defectus est,
Caretq; luce Luna.
Ponti fremunt ceraunia,
Gemit tremitq; tellus.

IV.

Cautes & antra mugiunt,
Et saxa colliquescunt:
Lambunt faces incendij
Aeterna templa cœli;
Mundi crepant fundamina,
Vrbes iacent & arces:
Damnata gens mortalium
Rogo crematur vno.

Moesto

V.

Moesto pauet silentio
Cinis sepultus orbis.
Nox alta mœret, nulla vox
Sonatue, murmuratue;
Non æthra sentit alitem;
Non rugiunt leones,
Latrator ipse conticet
Non mugiunt triones.

VI.

Regina mortualium
Armata falce Parca,
Iam funus vnum duxerat
Ex gentium ruinis;
Per ossa victrix arida
Incesserat superba,
Deamq; se iactauerat
Deo potentiorem.

VII.

Repente clangit buccina
Sonoribus tremendis:
Archistrategus ætheris
Frigentiumq; prætor,
Quatit potenti numine
Tumbas, & excit vmbras:

Prodite manes, currite
Ad vltimum tribunal.

VIII.

Hic ô nouum ſpectaculum,
Spectaculum pauendum
Tellus mouet tremoribus
Nouis, inuſitatis,
Et parturit quod ſæculis
Tot fouit inter aluum.
Animantur oſſa flamine
Et veſtiuntur artus;

IX.

Sed fronte prorſus impari,
Et impari decore;
Hic monſtruoſo vertice,
Vultuq́ tortuoſo;
Sed oris ille gloria
Gemmata vincit aſtra,
Et vincit vſq́ ſepties
Fulgore ſolis ortum.

X.

Olympus ecce panditur,
Diſcedit omne cœlum;
Prætoriana proruit
Phalanx ab arce mundi:

Mille-

Millena ſupra millies
(Si tota caſtra luſtres,)
Putabis ex paruiſſimo
Cenſu triariorum.

XI.

En primipilus Numinis
Præfert trabale ſignum,
Signum ſalutis inclytum
A quo Deus pependit,
Eliſa cuius cornibus
Eſt iuſſa mors moriri:
Et fracta vis Plutonia,
Et capta regna Ditis.

XII.

Dictator immortalium
Scandit tribunal arcus;
Tremore nutant ſidera,
Inæſtuatq; tellus.
Horrore pallent tartara
Infraq; mille montes
Quærunt chaos profundius
Ob numinis furorem.

XIII.

Sed fas abeſſe nemini
In orbis hoc theatro:

Cæli vacant prætoria,
Stipantq; iudicantem.
Patent hiatus inferi,
Cernuntq; fulminantem:
Adsunt Adami proximi
Et vltimi nepotes.

XIV.

Hîc pectorum lararia
Recluſa pelleguntur,
Et libripendes numinis
Imis repoſta mandris
Promunt, & arctè penſitant
Conſulta, dicta, facta,
Et iuſta cunctis præmia
Laboribus reponunt.

XV.

Delectus hinc decernitur
Ab impijs piorum.
Mittuntur alæ cælitum
Vt euocent beatos,
Ruunt tribuni numinis
In agminum phalanges,
Siſtuntq; lætos dexteram
Ad præſidentis oram.

XVI.

Clami-

Clamore montes intonant,
A ſupplicum querelis:
Affectat aſtra proximus,
Segnisue ſtrenuusue:
Aurata plorant vellera;
Lacerna trita ridet;
Arcetur hircus contumax,
Mites leguntur agni.

XVII.

O Scena lamentabilis,
O flebilis Cothurnus.
Non ſyrma vidit triſtius,
Æterna Ditis vmbra;
Ad candidatos ætheris
Iubentur ire nati;
Ad ſpectra dira Cerberi
Iubenter ire patres.

XIIX.

Patres viciſſim perditis
Volant ad aſtra natis.
Maritus inter ſidera,
Scrofas ſtat inter vxor.
Stat vxor inter ſidera
Maritus inter hirquos,
Quos lectus vnus iunxerat,
Diſiungit acta vita.

XIX.

Sic à propinquo sanguine
Sanguis fugit propinquus:
Sic frater à dulcissima
Auellitur sorore;
Nec fratris execrabilis
Luctu soror mouetur.
Rident beati lachrymas
Post fata serò fusas.

XX.

Ergo tributis classibus
Piorum & impiorum:
Victrix triumphat natio
Dextramq; regis ambit.
Funesta fex & stulta plebs
Sortem gemunt sinistram;
Sublimis illa tollitur
Hæc mole pressat ima.

XXI.

Supremus insit arbiter
Alto fremens ab arcu:
Mox attonantur omnia,
Stupetq; mutus orbis.
Pauent cruenti Iulij
Diriq; Iuliani.

Ipsi

Ipsi tremunt innoxij
Ob iudicantis iras;

XXII.

Sed hos amico lumine
Affatur ipse vindex
Iubetq; tutos fidere
Certos beatitatis:
Monstratq; patris regiam
Sedesq; destinatas,
Quas inuident insontibus
Infausta sors nocentum.

XXIII.

Mox fulminantis impetus
Retortus in scelestos
Tonat fremente spiritu,
Dirumq; theta promit.
Tellus reclude viscera,
Gentem vora nocentem;
Abite detestabiles
In tartari barathrum.

XXIV.

Hostes abite numinis,
Abite perduelles;
Fas omne damnat impios
Recedite impiati.

Damna-

Damnata conſcientia
Vos vrget, ite, abite
Orciq́z flammas paſcite,
In æuiternitatem.

XXV.

O fata funeſtiſſima,
Abitur, heu abitur,
Et itur in voragines
Ardentium focorum.
Aetnæa flant incendia
Et hauriunt nocentes.
Confoſſa ſpes, ademta res:
I ſtulta pompa mundi.

XXVI.

Hæc mille vates millies
Canuntq́z præcinuntq́z;
Sed quis mouetur vatibus,
Oraculisq́z vatum?
Perinde paſſim viuitur,
Ceu nulla mors ſequatur.
Potatur, eſtur, luditur,
Peritur, interitur.

INDEX RERVM.

A.

ABraham, & quid sinus Abrahæ. 37
Absque Deo nihil deprecatio nostra potest. 131.
Abstinentia S. Theodosii Cœnobiarchæ. 136.
Acœmetorum cœnobium quasi semper vigilantium. 19.
Adulterii insimulatus custodiæ mandatur & liberatur. 148. & 150.
Ætna mons. 237.
Agareni vnde dicti. 106.
Agathonicus præses Cœnobii S. Sabæ. 152.
Alexandri & Antoninæ cineres salutem ægris reddunt. 252.
Alexandri Mart. sanctus in Antoninam amor. 251.
S. Alexii factum illustre. 20.
Anachoretæ commiseratio & charitas in seruum pessimè mulctatum. 153.
Anachoreta in Deo immeritò offenditur. 153.
Anachoretæ indigna de Deo cogitanti Angelus adstat. 154.
Anachoreta temeritatem suam agnoscens veniam impetrat. 154.
S. Anastasia martyr cur dicta medicatrix. 116.

Andre-

Andreas & Ioannes Apostoli Cosmam Monachum ad lætiora reducunt. 37.
Andronici obitus pius 48.
Andronicus & Athanasia patriam deserunt. 44. & 45.
Andronicus habitum Monach. a Daniele abbate indutus. 45.
Angelus S. Phosterio quot diebus panes tulit. 131.
Angelus gratias agit D. Eulogio ob receptã Leonis P. M. epistolam. 155.
Aninas Anachoreta miraculis clarus. 176.
Aninæ precibus cisternæ aquis redundat. 176. & 177.
Aninæ nomine inuocato matronæ salum pudor. 179.
Anonymus martyr post mortem anathemate soluitur. 51.
Anonymi Monachi martyrium. 50.
Anthemius pater S. Apollinaris. 1.
Variæ authorum de hoc Anthemio sententiæ. 3.
Eiusdem officia refert Baronius. 3.
Anthemius Anthemii Imp. socer. 4.
Antiochiæ Draco, homine per sortem delecto cultus. 13.
Antiochiæ ruina per terræmotum predicta. 137.

Anastasiæ patriciæ vita & mors sancta ac mirabilis. 162.
Ex Athanasia Monachus Athanasius. 46.
Athanasia Monachus in Tabenesiotarum Monasterio. 45.
Athanasiæ nobile funus. 48.
Athanasia in obitu mulier deprehenditur. 48.
S. Apollinaris vnde dicta Syndetica. fol. 3.
Summa virginitatis cultrix. fol. 1.
It Hierosolymam. 1.
In siluis abdita curas humanas omnes abiicit. 2.
Dorothei nomen assumit. 2.
Gerit se pro Eunucho. 2. & 4.
Assignatur illi à Macario domicilium. 2.
Liberat Sororem ab insessere dæmone. 2.
Aqua è recluſa terra exorta Theodori mart. flammas extinguit. 194.
Ardation mimus, postea martyr. 95.
Argenti repertipars inuentori, pars reliquis inopibus datur. 154.
Arius exauctoratus & anathemate percussus. 118.
Arii viscera precibus Iacobi Nisibeni disrupta. 18.
Arsenius aquarum amarorem in dulcedinem vertit. 109.

Arsenius Honorii & Arcadii Præceptor. in præf. ad PP P.
Arsenius inter feras securus habitat. 108.
Arsenii in Luatro post mortem miracula. 109.
Ausonius Gratiani moderator. in præf. ad PPP.
Aurum in pauperes tributum, denuo receptum, auaro mortis subitæ causa. 96.
Altercationes cum hæreticis miraculorum virtute sæpe extinctæ. 264.
Animæ ex cœlo & inferis in vitam aliquando reuocantur. 207. & seqq.

B.

SSS. PPP. Basil. Greg. Theol. & Chrysost. studium & finis pax. 20.
S. Basilii Magni. sublime dicendi genus. 21.
S. Benno Monachis miraculis clarus. 255.
Besarionis anachoretæ durum viuendi genus. 255. & 256.
Blachernæ Constantinopoli vnde dictæ. 258.
Bulimia è fœmina fugata. 142.

C.

Cacodæmonem Donatus ex Augusta puella expulit. 240.
Capitis sententia in insontem pronunciata 8.

Cædis accusatus in vincula rapitur, & absoluitur. 148. & 150.
Carnis illecebras spernit S. Io. Chozebita. 30.
Carcer in Monasterium mutatus. 90.
Castimonia virtus hominem seruat incolumem. 121.
Casti coniuges longo interuallo ab inuicem sepulti sese coniungunt. 75.
Casti quidam coniuges cur dicti amantes. 75.
Castæ coniugis post mortem placida vox audita. 75.
Catechumeni, infideles, hæretici non intersint Sacrificio. 54.
Catholicum ab hæretico Ioan. Episc. solo intuitu dignoscit. 109.
Certamen de Treuirorum pontificatu. 7.
Certamen vter maior S. Io Baptista, an Euangelista. 27.
Ceruix Martyris fragrans oleũ sudans. 106.
Cerua hinnulũ tempore offerens. 267 & 268.
Christi corpus & sanguis, cibus Theoduli 92.
S. Chrysostomi lenitas verborum, & humanitas temperata. 21.
Cilicium cœnobiarchæ, Comitem inuulnerabilem reddit. 137.
Coniuges in martyrio socii. 112.
Coniugis Illustrissimæ Radziuilæ pietas, clementia, benignitas. in præf. ad PPP.

Constantinus Imp. sanctas Pauli Archiepiscopi manus exosculatur. 118.
Constantinus Iudæus diuinitus elemẽta Christiana discit. 123.
Constantinus ex Iud. Christianus, puellam exanimat, & reuocat. 123.
Constantini è Iud. Christiani miracula plurima. 124.
Constantinus Copronym. Ecclesiæ hostis acerrimus. 90.
Columna flammea supra Modesti baptizandi caput visa. 113.
S. Cononis DEVS hodie quoq; apud Isauros prædicatus. 160.
Contentio Cœnobiorum pro sacris reliquiis Andronici. 49.
Cosmæ Monachi tremenda visio. 33.
Cosmas defunctus hæreticum in sepulchri Socium renuit. 86.
Coriarius S. Antonio antepositus. 95.
Crines impudentium mulierc̃ularum in canos deformati. 18.
Crucis character capiti pueri impressus. 124.
Culicum & vesparum examinibus Persarum exercitus fugatus. 18.
Cum fluctibus luctanti præsens spectansq; manum non porrigit, & eius vindicta. 148.
Cyrilli Magni de animæ excessu oratio. 212.

SS. Cyrus

SS. Cyrus & Ioannes caliginem à Sophroniī oculis pellunt. 168.
Copia frumenti aucta ex eleemosyna. 253. 254. & 275.
Crisis sine vltimum tribunal. Carmen. 300.

D.

Damnata, ferri candētis iudicio liberatur. 9.
Dæmones frugum custodes. 160.
Dæmones testis inclusi, & in ædium fundamentis locati. 160.
Descriptio habitus corporis SSS. Basil. Greg. Theol. & Chrysost. 24. & seqq.
DEVS non tentandus. 57.
DEVS est iustus iudex, & rectum iudicium eius. 154.
DEVS præsenti pœna affligit, vt olim possit parcere. 154.
Decretum Imp. contra Relig. Catholicam discerptum & pedibus proculcatum. 172.
Diuina vindicta. 147. & seqq.
Dioscorus mimus, postea martyr. 95.
Dioscori martyrium. 196.
Doctorum monimenta vera viuendi regendiq; præcepta. in præf. ad PPP.
Draco Donati Pōtif. flagello interemptꝰ. 239.
Draconem thesauro Imp Constantis incubātem Hypatius Episc. interemit. 67.

Duo ob occulta crimina in carcerem permissu Numinis coniecti. 148.
Durissimum vitæ genus Arsenii in Latro. 107. & 108.

E.

Pro Eleemosyna redditum centuplum. 253.
Ei qui se ipsum vincit, Deus obsequentes dat feras. 175.
Elzearii Comitis & Dalphinæ castum coniugium. 75.
S. Ephræm Syrus. 144.
Variæ opiniones de patria eius. 144.
Libros Salutari pœnitentiæ plenos edidit. 144.
Vitam seu Elogia S. Ephræm multi composuerunt. 145.
Quo tempore vixerit? 145.
An Diaconus vel Presbyter mortuus fuerit? 145.
Scripta S. Ephræm lingua Syriaca Græcus interpres transtulit. 146.
Buculam crebra lapidatione cõficit. 146.
Mores in carcere emendat. 146. & seqq.
In carcerem exors criminis truditur. 147.
Dormienti species ephebi formidabilis offertur. 147. & 150. & 151.
Religionem se professurum spondet. 151.

E carcere liberatus Monachum induit. 152.
Ephræm Patriarcha Antiochenus seu Theopolitanus alius a priore. 155.
Ephræm Episcopus & Martyr in Chersoneso. 155.
Epitimii pœna quæ. 55.
Epistolium in testula. 164.
Epistola à Leone P. M. conscripta, & ab Apostolo Petro emendata. 156.
Eques Hierosolymitanus Princeps Radziuilus. in præf. ad ppp.
Euphemia Elisabetha mater Radziuilorum. in præf. ad ppp.
Eubiotus martyr miraculis clarus. 128. & 129
Eugenius serpentem vorat, & saluus persistit. 126.
S. Eulogius Leonis P. M. Epistolam probat, & promulgat. 155.
Cum Angelo, quasi cum Pontificis Archidiacono loquitur. 155.
D. Juliani templum instaurat. 157.
Eustathii Patriarchæ in iniuriis patientia. 249.
Ex miraculis Philetæri mart. multi Christiani. 128.
Eudoxiæ Imperatricis tumulus 35. annis tremuit. 52.

Ex cranio poculum. 122.
Ex ore Menigni mart. candida columba euolare visa. 173.
Ex cogitatione mortis & iudicii, cibi, potionis & sui ipsorum obliti. 297.

F.

Familiaris Rad Ziuilus Regibus, Cæsaribus, Pontificibus. *in præf. ad ppp.*
Falsò de lasciuiæ crimine accusata Susanna. 110.
Festum SSS. Basilii, Greg. Theol. & Chrysost. vno die cur institutum. 23.
Fons qui à Dracone infectus, expurgatus. 239. & 240.
Fons è terræ gremio scaturiens vbi S. Basiliscus mart. stabat. 243
Fontes vnde ad vsum vitæ scaturiant. 237.
B. P. Francisci Xauerii vaticinium. 97.

G.

Gaianus mimus. 95.
Genesius mimus, postea martyr. 95.
Gelasinus mimus. 95.
Georgii cuiusdam miser obitus. 80.
Gemini fratres ob calumniam Sorori factam, & ademptam hæreditatẽ in carcerem dati, & in furcam acti, 150. & 151.

Gigas

Gigas à Maclouio Episcopo excitatus, & baptizatus. 209. & 210.
Golinducha ab Angelo ici visa. 265.
S. Gregorii Theol. dicēdi vis penetrabilis. 21.
S. Gothardi Hildesheimensis Episcopi, & de contumacib. subditis hist. 35.

H.

Hasta in terram defixa radices agit. 179.
Henrici & Cunegundis Augustorum castus torus. 72.
S. Herculani Episcopi incorruptum corpus. 86.
Haretici visiones ad Deum Fabulinum referunt. 42.
S. Hildegundis Virg. vita ex MS. Cod. M. Kelseri. 5.
Honestissima bonorum diuiso. 73.
Hordeo & aqua pastus 40. annis Macedonius. 142.
Hospitalitas S. Mausimæ Syri. 138.
Humilitas Ioannis Episcopi admiranda. 99. & 100.
Humilitas Animæ Anachoretæ. 178.

I.

Ignis de cœlo lapsus fanum idolorum, & signum Apollinis absumit. 244.

Illustre Ammonis Anachoretæ facinus. 73.
Inobedientem puerum terra respuit, absolutum recipit. 52.
Insignis Cornelii mimi benignitas. 94.
In tres partes bona diuidunt Andronicus & Athanasia. 43.
In tres vindicta diuina animaduertit. 150. & 151.
In stupri patrati suspicionem apud patrem incurrit, & liberatur. 2.
In Iudæa vindicis & irati Numiris vestigia. 237.
S. Ioannes Eleemosynarius. 156.
Ioannes Episcopus, per aërem raptus, & in cella depositus. 100.
Ioannis Episcopi casam incolumem seruat Leo. 100.
D. Ioan. Baptist. manus Constantinopolim translata. 13.
D. Io. Baptist. ope Virgo draconi obiicienda liberatur. 13.
D. Io. Baptist. digito Draco interemptus. 14.
D. Io. Præcursoris corpus Sebastæ humatum. 13.
D. Io. Baptist. manus explicata vbertatem denunciat, contracta annonæ caritatem. 14.
S. Ioannis Calybitæ vita illustris. 19.

S. Ioan-

S. Ioannes Chozebita puerum à malo Spiritu bis liberat. 28. & 29.
S. Ioan. Chozebita Episcopatum susceptum deserit 28.
S. Ioannis Chozebitæ vita ex Euagrio. 31. & 32.
Ioannus Sabbaitæ vtilissima documenta. 85. & 86.
Ioanni Euchaitarum Antist. SSS. PPP. Basil. Greg. Theol. & Chrysost. per quietem apparent. 22.
Isaacius futura nouit & prædicit. 247.
Iudæi per miracula ad Christum adducti. 125.
Iudæus ingenti miraculo conuersus. 126.
Iudæus adolescens arena primum, deinde aqua baptizatus. 126.
Iudex iniquus saxo eliditur. 18.
Iudicia Dei iusta sunt. 150. & seqq.
Iudicia Dei abyssus multa. 154.
Iulianus Martyr apparet Athanasiæ. 44.
D. Iulianus Martyr per noctem apparet S. Eulogio habitu Archidiaconi Alexandrini. 156. & 157.
Iustum est tribunal Numinis. 148.
Iusto Dei iudicio mũdus administratur. 151.
Iuuenis Ægyptius Christum eierat, & denuo inter martyria prædicat. 103.
Imagines Christi tres ἀχειροποίητοι fuerunt.

Imperator & Augusta ad pedes S. Donati prouoluti. 240.

L.

Latrus mons frequens Anachoretis. 108.
Lapidibus obrutus Hypatius Episcopus à Nouatianis. 68.
Lenitas Magistri exitium discipuli. 84.
B. Leontius Antiochiæ Pontifex Xenodochia studiosissimè curat. 125.
Leo grammatophorus. 179.
Leones domestici S. Macarii Anachoretæ. 57.
Leonis Armenii tyrannis. 134.
Leo Isauricus sacrarum imaginum hostis. 89. 276. & 277.
Licet nonnunquam pio fine vestem & nomen mutare. 4.
Liberata à suspendio, ope Angeli Custodis longiss. iter conficit. 9.
Liberalitas Animæ Anchoretæ. 176. & 177.
Loca quæ Princeps Radziuilus peragrauit. in præf. ad PPP.
Lucas Euang. Antiochiam deportauit dexteram Ioan. Baptistæ. miracula designauit. 13.
S. Laurentius loculum suum in sinistram transfert, dextram S. Stephano concedit. 174.

M.

S. Macarii Anachoretæ formæ. 56.
Magnus hominum numerus obtutu sacræ imaginis attonitus. 297. & seqq.
Maumanus vir religiosus. 175.
Manus apparitorum contra Martyrem extensæ obriguerunt. 128.
Mansiones multæ apud Christum. 38.
Marcianus insignis athleta Christi. 39.
Marcianus in specum S. Io. Chozebitæ per Angelum defertur. 30.
Margarita nomen Danielis ementita, septem stipendia fecit. 12.
Maria Ægyptiaca cum Angelis comparanda. 169
Martyris tumba durante re divina, secedit in atrium. 50.
De decem Martyribus sub Leone Isaurico pro imagine Christi interfectis. eorundem martyrium. 276. & 277.
S. Menigni cruciatus admirandi. 172. & 173.
De Milite Carthagin. luculenta historia, & super hac disputatio. 199. & seqq.
Miles anathematis vinculo constringitur, & post mortem soluitur. 53. & 54.
S. Modestus Damonolatræ venditus. 114.

S. Mode-

S. Modestus alter Iosippus. 115.
S. Modesti miracula. 113. & 114.
Methodius monachus arte pictor extremum iudicium depingit. 296.
Miracula S. Imaginis Christi nulla manu facta. 261. & seqq.
Monachi tres per somnium Hierosolymam transferuntur. 62.
Mores in carcere emendati. 146. & seqq.
Mors crudelis Stephani Iunioris Martyris. 90. & 91.
Mortuus in vitam reuocatus, & creditori satisfacere coactus. 241.
Mundus inferior. & superior. 237.
Mira Zachariæ Calcearii sanctitas. 68.
Miracula aliquot S. Myronis Episcopi. 275.
Misico Polonorũ Apostolus. in præf. ad PPP.
Missæ partes quatuor. 54.
Mula loquens. 273.
Multa à malo dæmone passus S. Io. ChoZebita. 29.
Multa S. Io. ChoZebitæ miracula. 31.
Mulieres diuino ardore incensæ generosissimũ virtutis specimen edunt. 277. & 278.
Multi ex cœlo & inferis in vitam reuocati. 207. & seqq.
Multi latrones ad summam vitæ sanctimoniam venerunt. 291.

Muta-

Mutatione habitus plures Virgines euaſere. 252.

N.

Narciſſus Patriarchatum fugit, & reuertitur. 102.
Nicolaus miles caſtiſſimus. 119.
Nicolai Chriſtoph. Principis RadZiuili bellica virtus. in præf. ad PPP.
Nobile par coniugum. 74.
Nobiliſſimum aliud par coniugũ. 75. & 76.
Nullus cæleſti vindicta, niſi nocens plectitur. 148. & ſeqq.
Numinis Orphanorum patris prouidẽtia. 7.
Nuptias linquit S. Macarius Anachor. 58.
Nieswiſienſe Collegium Soc. IESV. in præf. ad PPP.

O.

Obediens etiam poſt mortem obediuit. 82.
Obediens mori non poteſt. 82.
Obedientis defuncti corpus incorruptũ. 82.
Occulta ſæpe eſt, ſed æqua vindicta Numinis. 148. & ſeqq.
Opera S. Hypatii Epiſcopi admiranda. 67.
Opera Dei mirabilia ſunt, & inueſtigabiles viæ eius. 151.
Otium alere Deo diſciplicet. 131.

P.

Papii martyris atrocissimi cruciatus. 256. & 257.
Parentũ sterilium precibus, datus filius. 112.
Par coniugum Virgineum. 160.
Parens & patria S. Myronis Episcopi. 274.
Patientia summa Acacii Monachi. 81.
Patientia Iacobi Anachoretæ stupenda. 87.
Patientia Pauli Archiepiscopi admiranda. 117.
Patres Synodi Nicænæ vestigia Christi in corpore tulerunt. 118.
S. Pauli artificium. 124.
Pauperum inopiæ subleuandæ addictus Cornelius mimus. 93.
Pedicis induit se S. Chozebita. 30.
Peregrinationis liber à Radziuilo Principe conscriptus. in præf. ad PPP.
Petri Vellii egregia liberalitas, & beata mors 96. & seqq.
Philetari nutu cœlum tonat. 127.
Philippus Præf. Constantinop. S. Paulum Patriarcham Constantinop. interfecit. 4.
Platanus arida, cui Martyr alligatus refloruit. 243.
Platonem virgines Athenienses virili habitu in Academia audiuerunt. 12.
Plutarchus Traiani Magister. in præf. ad PPP. S. Philip-

S. Philippa mater S. Theod. Mart. in fornace filio suo apparet, & capite truncatur. 198. & 199.
Poemen religiosissimus Anachoreta. 152.
Iuxtà Leonem accumbit. 152.
Se à feris discerpendum prædicit. 152.
A feris discerptus interit. 153.
Pœnitentia Macarii super peccato. 61.
Phœnix Achillis pædagogus. in præf. ad PPP.
Pompeii Magni in litteras & literatos munificentia. in præf. ad PPP.
Preces ex uno frumenti grano, integra granaria complent. 136.
Precibus donati satis imbres dati. 241.
Preces dæmonum insultus premunt. 87.
Precibus ignis deletus. 127.
Preces sata imbribus recreant. 137.
Precibus simulacra in terram deiecta. 111.
Precatio & crucis forma aspidem necat. 108.
Præsens Dei genitricis auxilium. 80.
Prætorium carcer quo lectissimi Monachi 24 inclusi. 90.
Procatioris linguæ mulieres anathemate percussæ, & post mortem absolutæ. 53.
Propheticus Io. Episcopi Spiritus. 102.
Prouidentia Diuina. 146. & seqq.
Precibus S. Marinæ M. terrificum monstrum edomat. 269.

Puerum à mortuis reuocat Iacob. Anachoreta. 87.
Princeps aſpectu ſacræ imaginis perculſus, & mente recepta cum filio ſacro fonte luſtratus. 297. & ſeqq.

Q.

Quærite primùm regnum Dei, &c. 131.
Quidam è carcere ad inferos deductus. 42.
Quidam fœminam innocentem ſcortum eſſe deierat, & punitur. 149.
Quomodo eundum ad arma. 120.

R.

Radziuila Princeps mater pauperum. in præf. ad PPP.
Raphael Archangelus S. Macarium in eremum deducit. 58.
Raphael Archangelus ſecundò apparet Macario. 61.

S.

S. Saba neminem niſi barbatum in Cœnob. admittendum putauit. 12.
Sacculum argenti amiſſi reperiens ad Curionem ſuum defert. 154.
Scetana Eremus SS. Patrum frequentia nobilis. 12.

Salama-

Salamanes Solitarius, & sui contemtor. 139.
Sancti defuncti eodem in tumulo mutuò sibi dedêre locum. 86.
Sapor. Rex Pers. ab obsidione Nisibina aspectu Iacobi Nisibeni auersus. 18.
Schonaagia Cœnob. ord. Cistertien. Et quid ibi acciderit. 5.
Senex improbus, & parricida cæcitate percussus, & capite plexus. 182.
Silentium etiam peregrinis Monachis obseruandum. 46.
Seruo pes amputatur, quo olim matrem suam ex curru indignis modis deturbarat. 154.
Simeon Stylitarum auctor. 246.
Simeonis Stylitæ patientia, & Religionis disciplina. 245. & 246.
Simeones Stylitæ tres fuerunt: hîc de secundo agitur. Vide Auctuarium.
Simplicitas Monachi, & miraculum defuncti Innocentij. 83.
Sophronius Ioannem Eleemosynarium in funebri concione laudat. 169.
Soror orba & vidua innocens infamia notatur, & patrimonio exuitur. 149.
Stanislaus Episcopus Craconien. mortuum excitat. 241.
Spartana coniuges viros suos è custodia virili veste

li veste eripiunt. 12. & 252.
Supinus nunquam iacuit Eustratius Thaumat. post relictum sæculum. 133.
Supra Menigni defuncti Mart. caput sydus nobile. 174.
Suspensæ testis innocentia Deus succurrit. 9.
Susannæ Martyrium & mors. 111.
Susanna in Monachum rasa, & Ioannes indigitata. 110.
Symphoniacus S. Pafnutio comparatus. 95.
Sindones effigie Christi signatæ. 288. & 289.

T.

Tentationes dæmonis contra S. Macarium. 59. & 60.
Thallelæi martyrium. 242.
S. Theoctistæ durum genus vitæ. 64.
Theodori mart. tormenta, & stupenda miracula. 196. & seqq.
Theodosius Magnus Senuphii anachoretæ epomide indutus, & scipione instructus hostes in fugam coniicit. 137.
S. Theodulus à Deo meritis par Cornelio mimo iudicatus. 92.
S. Thomais M. pudorem sanguine redimit. 182.
Thomaidis Mart. reliquiæ libidinem arcent. 183.

Tricæ-

Tricesimo Ianuarii institutatriũ PPP. Græcæ Ecclesiæ dies sacer. 23.
Triginta auri libræ in pauperes distributæ, sanitatem restituunt. 95.
SS. Theodori Trachinas & Tiro. 199.
S. Theodora Tessalon. matrona antistitæ suæ mortua mortuæ locũ dat in sepulchro. 274.

V.

Vasa duo, frumenti alterum, alterum olei, nunquam deficientia. 138.
Verbo extinctus mendicus, & reuocatus. 18.
Venator S. Theoctistam deprehendit, 65.
Verecundia Domninæ Virginis. 158.
Verecundia cuiusd. Virginis de qua Ioan. Moschus. 159.
Vestis Deiparæ Virg. Constãtinop. custos vrbis & morborum medica officina. 258.
Vesuuius mons in Campania flammiuomus. 238.
Vestis Golinduchæ varia morborum genera curat. 265.
Vestium malo fine mutatio non ferenda. 12.
Vguetini Canonici visio mirabilis. 42.
Vicani cuiusdam Christiana pietas. 73.
Vincula Christianorum, vt cera defluxerunt. 171.
Vincula S. Ioan. Chozebitæ diuinitus rupta. 30.

Vinctis Christianis ipse Dominus apparet & liberat. 171.
Vir nobilis seruum suum fidum & gnauum pede truncat. 153.
Vir nobilis amittit pecuniam, qua abusurus erat. 154.
Virgines pio astu sexum mentitæ. 45.
Virilis Andronici animus. 43.
Virtus Eucharisti opilionis. 73.
Vitis arida radices agit, germinat, maturescit intra breue tempus. 254.
Visio Ioannis Antiochi dicti. 84.
Visio Ioannis cuiusdam. 77.
Visio S. Macarii Anachoretæ. 57.
Visio altera S. Macarii Anachoretæ 61.
Vltima Eustratii verba. 135.
Vlysse patentior Princeps RadZiuilus. in præf. ad PPP.
Votum Nicolai Christoph. RadZiuili. in præf. ad PPP.
Valens Imp. Arianus à Gothis igne crematus periit. 248.
Volumen hæreticorum ad pedes; Catholicorum in manibus S. Euphemiæ M. repertum. 260. & seqq.

Z.

Zona D. Virginis Imperatricem sanat. 292.
Zoticus orphanotrophus. præf. ad Lect.

OBSER-

OBSERVANDA.

P. 15. v. 3. à fine, adde: *Hanc historiam exponit Glycas ex Philone in Leone Isaurico. Variat tamen, cum pro discipulo seniorem, pro seniore Episcopum ponit.*

P. 11. v. 16. Adi Cassianum Coll. 14. l. 2.

P. 102. lege Sophron. c. 37. & c. 93.

P. 246. v. vltimo observa. Tres Simeones Stylitas legere memini, primum primo Septēb. in Menæis & Menologio è Cilicia pago Sisa oriundum.

Alterum Antiochiæ Syriæ imperante Iustino, patre Ioanne, matre Martha natum. vixit annos LXXXV. *Hic in Menæis & Menologio* XXIV. *Maii celebratur.*

Tertium item Cilicem quadraginta millibus pass. ab vrbe Aegis profectum ac tandem fulminatum & cum triumpho in cœlum deductum. Sophr. c. 47.

Primus auctor fuit omnium Stylitarum primo Sept. cultus, de quo Theodoretus c. 26. hist. patrum, Theodorus Lector, alii non pauci. De hoc opinor Romani Fasti V. *Ianuarii memorant. vixit annos* CIII.

Alterius vitam XXIV. *Maii in Viridario posuimus, quem quidem illum primum putauimus primo Septembris positum, & nomen Iustini corrigendum existimauimus.*

Sed

Sed rite scriptus est Iustinus, sub illo enim vixit & sub Mauritio defunctus est, quem laudat Nicephorus lib. 18. c. 24.

Hic ergo nō fuit primus, sed ille ἐν ὄρει θαυμασῷ versatus in monte mirabili. Nec eundem credas quem Latini v. *Ianuar. Græci* XXIV. *Maii venerantur. Sed illum qui apud Græcos primo Sept. & apud Latinos* v. *Ianuarii colitur. Hoc enim ex chronologia, & vtriusq; vita, patria, ætate diserè ostenditur.*

CORRIGENDA.

PAgina. 13. Versu vltimo. sanctæ præcursoris. p. 15. v. 17. Mæneorum exemplari. p. 24. v. 13. pupillis grandiusculis. p 34. v. 8. quare. 38. v. 4. noram. Ibid. V. 16. pro. p. 41. V. 11. omnia. p. 48. v. 6. Athanasius mulier. p. 48. v. 13. Siciotarum. p. 49. v. 3. reliquias annitentibus. Ibid. v. 14. Cyro Exconsule. Ibid. v. 4. à fine. in orâ hæc pone 15. Octob. p. 50. v. 16. velut Martyrem. Ibid. v. vltimo causam, quam p. 54. v. 13. sed animantibus. p. 55. v. 12. à fine. In genua. p. 60. v. 17. impuritatis. p. 61. v. 3. Macari abis? Ibid. v. 12. à fine. obstupescenda. p. 63. v 2. à fine. ῆς p. 74. v. 11. meum immaculatum. p. 75. v. vltimo. cum in conclaue. p. 76. v. 18. fœminæ contactu. p. 77. v. 11. impulsu Numinis. p. 81. v. 11. à fine, in orâ. 28. Nouemb. p. 91. v. 4. publicam protraxerunt. p. 93. v. 12. inopiæ subleuandæ Ibid. v. vltimo. fluctuabunda. p. 98. v. 8. à fine, in orâ. 3. Decemb. p. 100. v. vltimo. Hæreticus. p. 103. v. 5. in orâ. 11. Decemb. p. 116. v. 2. à

fine

fine Domnini roſtra. p. 118. v. 9. manum præciſam p. 119. v. 12. in orâ. 24. Decemb. p. 123. v. 4. in orâ 26. Decemb. Ibid. v. 6. Synnada patria. p. 125. v. 15. è baptiſmo ſanum. p. 126. v. 16. de Iudæis Cretenſibus. p. 132. v. 7. â fine, in orâ. 6. Ianuar. p. 136. v. vltimo. inaſpectabili præſentia. p. 141. v. 5. à fine. hoſpitam nominarat. Ibid. v. 4. à fine, in orâ. 24. Ianuar. Ibid. v. 3. à fine. Anachoreta. p. 143. v. 11. vitam deſcribit. p. 147. v. vltimo cùm infælicis. p. 152. v. 18. & 19. in Limonario. p. 156. v. 5. mortuus eſt. p. 157. v. 1. Alexãdrino Eulogio. p. 174. v. 4. qui ſacras eius. p. 176. v. 5. uirorum iuxta ac p. 183. v. 10. à fine. in orâ. 20. April. p. 196. v. 5. à fine. affirmarunt. p. 197. v. 1. ignibus currũ. p. 200. v. 3. inguinis morbo. Ibid. v. 6. recluſo ſepulchro. Ibid. v. 8. à fine. meis ſatis dedêre. p. 203. v. 19. lacrymas deleſſem. p. 207. v. 16. petere & p. 209. v. 12. apud Ambroſium. p. 241. v. 9. à fine. in Regiam rediiſſet. p. 251. v. 1. in orâ 10. Iunij. p. 253. v. 3. vitæ honeſtatem. p. 264. v. 6. tumultuantibus rurſus. p. 268. v. 10. cum his conuenit. p. 269. v. 3. à fine, in orâ 2. Auguſti. p. 272. v. 6. à fine. mari proſecuti. p. 274. v. 7. & 8. annus Chriſti. 415. p. 277 v. 13. potius afflictione. p. 278. v. 5. à fine. προσρέχειν πρὸς.

PROFESSIO AVCTORIS.

SI quid in hoc VIRIDARIO nostro & SYNTAGMATE contra Ecclesiæ Catholicę decreta, decernendáue dictum, annotatum est, essétue; indictum sublatumque esto.

AVGVSTÆ VINDELICORVM,

APVD

Christophorum Mangum.

M. DC. VII.

Viridar.
SS.
RADERI
&
Syntagma
de statu
morien
tium

Th
2445

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN